This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

http://books.google.com

TX 478.41 .L691b
Lhomond, C. F.,
Selections from L'Hommond's Viri Romae a
Stanford University Libraries
3 6105 04926 7250

...MÆ – NEPOS

BUCHANAN – MINCKWITZ

DEPARTMENT OF EDUCATION
LELAND STANFORD JUNIOR UNIVERSITY

Digitized by Google

PRESENTED BY THE PUBLISHERS

— TO THE —

TEXT-BOOK COLLECTION

— OF THE —

Department of Education


LELAND STANFORD JUNIOR UNIVERSITY

COMMENT:

The reta ....

Digitized by Google

Digitized by Google



SCHOOL OF EDUCATION
LIBRARY


TEXTBOOK
COLLECTION

STANFORD UNIVERSITY
LIBRARIES

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

SELECTIONS

FROM

L'HOMMOND'S VIRI ROMÆ

AND

CORNELIUS NEPOS

EDITED BY

JNO. T. BUCHANAN

PRINCIPAL OF THE BOYS' CLASSICAL HIGH SCHOOL, NEW YORK CITY

AND

R. A. MINCKWITZ

TEACHER OF LATIN AND GREEK, CENTRAL HIGH SCHOOL, KANSAS CITY, MO.

SPECIMEN

"*Per angusta ad augusta*"

NEW YORK

MAYNARD, MERRILL, & CO.

29, 31, AND 33 EAST 19TH STREET

Digitized by Google

Copyright, 1897, by
MAYNARD, MERRILL, & CO.

LIBRARY.
Leland Stanford, Jr.
UNIVERSITY

C

Press of J. J. Little & Co.
Astor Place, New York

Digitized by Google

TO

PROFESSOR E. C. WHITE

PRINCIPAL OF THE CENTRAL HIGH SCHOOL

KANSAS CITY, MO.

AN ABLE AND ZEALOUS TEACHER, SCHOLAR, AND PATRON OF THE LEARNING EMBRACED IN THE CLASSICS

THIS BOOK IS AFFECTIONATELY DEDICATED BY

THE EDITORS.

87043

Digitized by Google

PREFACE

PRESENT editions of the Viri Romae and Cornelius Nepos contain so much matter of little advantage to the average high school student that a book made up of the best selections from each is in demand. Editions now in use were intended largely for college work; while, from the simplicity of the reading matter itself, the proper place for it is in advance of Caesar in the high school course. The book we offer contains valuable selections, five from the Viri Romae and six from Cornelius Nepos, and is intended for high schools, academies, and other institutions of secondary education.

Beginners' Latin books of the present do not give sufficient preparation for Caesar. This book has been prepared with the end in view of providing an intermediate text between the beginner's Latin book and Caesar. The notes are simple, have been written in accordance with the requirements of secondary schools, and their usefulness has been tested by the actual class-room experience of the editors. Lucid explanations of the constructions and the arrangements of the Latin in the English order are sufficiently numerous to make apparent the meaning of the text without cumbering the book with grammatical references. Special pains has been taken to use in the notes only such terms as are found in the ordinary first-year Latin book, thus enabling the pupil to move easily into "quantity reading," and to

Digitized by Google

acquire facility in translating Latin at sight through his increased vocabulary and familiarity with Latin constructions.

It is recommended that the Viri Romae be read in the last four weeks of the first year, and the Nepos in the first four of the second year.

With the exception of the changes hereinafter named, the text of the Viri Romae conforms to that of Holzer, published by Paul Neff, Stuttgart; and of Nepos to that of Carl Nipperdey, published by the Weidmannsche Buchhandlung, Berlin. Harper's Latin Dictionary has been used as the standard vocabulary, and as the authority for hidden quantities.

The following changes have been made in the text: the punctuation has been changed to conform to English rules; the regular Latin forms have been substituted for exceptional Greek forms, for example, Themistoclem for Themistoclen; "K" has been substituted for "C" in such words as Karthago; "o" for "u" in such words as volt (vult); "ens" in numeral adjectives for "es," for example, quotiens for quoties; "i" for "ii" in the genitive singular of the second declension; numbers have been given in Latin words instead of in their equivalents in Roman characters; and usually no assimilation has been made in compounds with "ad," "con," and "in."

Thanks are hereby given Miss Mary E. Wilder, teacher of Latin in the Central High School, for valuable assistance rendered in the preparation of the notes and vocabulary.

JNO. T. BUCHANAN.
RICHARD A. MINCKWITZ.

KANSAS CITY, MISSOURI, *June*, 1897.


Digitized by Google

CONTENTS

Digitized by Google

sunt, quae aquam fōrte extrā moenia petītum ierat

Digitized by Google


Porta Collina
Campus Viminalis
Agger

DEPARTMENT OF EDUCATION
LELAND STANFORD JUNIOR UNIV.

SELECTIONS FROM "VIRI ROMAE"

1. ROMULUS, ROMANORUM REX PRIMUS

(753 a. Chr. n. — 715)

I. Rōmulus imāginem urbis magis quam urbem fēcerat; incolae deerant. Erat in proximō lūcus; hunc asȳlum fēcit. Et statim eō mīra vīs latrōnum pāstōrumque cōnfūgit. Cum vērō uxōrēs ipse populusque nōn habērent, lēgātōs circā vīcīnās gentēs mīsit, quī societātem cōnūbiumque novō populō peterent. Nusquam benīgnē audīta lēgātiō est; lūdibrium etiam additum: "Cūr nōn fēminīs quoque asȳlum aperuistis? Id enim compār foret cōnūbium." Rōmulus aegritūdinem animī dissimulāns lūdōs parat; indīcī deinde fīnitimīs spectāculum iubet. Multī convēnēre studiō etiam videndae novae urbis, māximē Sabīnī cum līberīs et coniugibus. Ubi spectāculī tempus vēnit eōque conversae mentēs cum oculīs erant, tum sīgnō datō iuvenēs Rōmānī discurrunt, virginēs rapiunt.

II. Haec fuit statim causa bellī. Sabīnī enim ob virginēs raptās bellum adversus Rōmānōs sūmpsērunt et, cum Rōmae appropīnquārent, Tarpēiam virginem nactī sunt, quae aquam fōrte extrā moenia petītum ierat.

Digitized by Google

Hūius pater Rōmānae praeerat arcī. Titus Tatius, Sabīnōrum dux, Tarpēiae optiōnem mūneris dedit, sī exercitum suum in Capitōlium perdūxisset. Illa petiit quod Sabīnī in sinistrīs manibus gererent, vidēlicet et ānulōs et armillās. Quibus dolōsē prōmīssīs Tarpēia Sabīnōs in arcem perdūxit, ubi Tatius scūtīs eam obruī iussit; nam et ea in laevīs habuerant. Sīc impia prōditiō celerī poenā vindicāta est.

III. Deinde Rōmulus ad certāmen prōcessit et in eō locō ubi nunc Rōmānum Forum est, pūgnam cōnseruit. Prīmō impetū vir inter Rōmānōs īnsīgnis, nōmine Hostīlius, fortissimē dīmicāns cecidit; cūius interitū cōnsternātī Rōmānī fugere coepērunt. Iam Sabīnī clāmitābant: "Vīcimus perfidōs hospitēs, imbellēs hostēs. Nunc sciunt longē aliud esse virginēs rapere, aliud pūgnāre cum virīs." Tunc Rōmulus arma ad caelum tollēns Iovī aedem vōvit, et exercitus seu fōrte seu dīvīnitus restitit. Itaque proelium redintegrātur; sed raptae mulierēs crīnibus passīs ausae sunt sē inter tēla volantia īnferre et hinc patrēs, hinc virōs ōrantēs, pācem conciliārunt.

IV. Rōmulus foedere cum Tatiō ictō et Sabīnōs in urbem recēpit et rēgnum cum Tatiō sociāvit. Vērum nōn ita multō post occīsō Tatiō ad Rōmulum potentātus omnis recidit. Centum deinde ex seniōribus ēlēgit, quōrum cōnsiliō omnia ageret, quōs senātōrēs nōmināvit propter senectūtem. Trēs equitum centuriās cōnstituit, populum in trīgintā cūriās distribuit. Hīs ita ōrdinātīs

Digitized by Google

cum ad exercitum lūstrandum cōntiōnem in campō ad Caprae palūdem habēret, subitō coorta est tempestās cum māgnō fragōre tonitribusque et Rōmulus ē cōnspectū ablātus est. Ad deōs trānsīsse volgō crēditus est; cui reī fidem fēcit Iūlius Proculus, vir nōbilis. Ortā enim inter patrēs et plēbem sēditiōne, in cōntiōnem prōcessit iūreiūrandō adfīrmāns, vīsum ā sē Rōmulum augustiōre fōrmā, eundemque praecipere ut sēditiōnibus abstinērent et rem mīlitārem colerent; futūrum ut omnium gentium dominī exsisterent. Aedēs in colle Quirīnālī Rōmulō cōnstitūta, ipse prō deō cultus et Quirīnus est appellātus.

2. GNAEUS POMPEIUS MAGNUS

(106 a. Chr. n. — 48)

I. Gnaeus Pompēius, stirpis senātōriae, bellō cīvīlī sē et patrem cōnsiliō servāvit. Cum enim Pompēī pater exercituī suō ob avāritiam esset invīsus, factā in eum cōnspīrātiōne Terentius quīdam, Gnaeī Pompēī fīlī contubernālis, hunc occīdendum suscēpit dum aliī tabernāculum patris incenderent. Quae rēs cum iuvenī Pompēiō cēnantī nūntiāta esset, nihil perīculō mōtus, solitō hilarius bibit et cum Terentiō eādem quā anteā cōmitāte ūsus est. Deinde cubiculum ingressus clam subdūxit sē tentōriō et fīrmam patrī circumdedit custōdiam. Terentius tum dēstrictō ēnse ad lectum Pompēī accessit multīsque ictibus strāgula percussit. Ortā mox sēditiōne Pompēius sē in

media coniēcit āgmina, mīlitēsque tumultuantēs precibus et lacrimīs plācāvit āc ducī reconciliāvit.

II. Eōdem bellō Pompēius partēs Sullae secūtus ita sē gessit ut ab eō māximē dīligerētur. Annōs trēs et vīgintī nātus, ut Sullae auxiliō venīret, paternī exercitūs reliquiās conlēgit, statimque dux perītus exstitit. Māgnus illīus apud mīlitem amor, māgna apud omnēs admīrātiō fuit; nūllus eī labor taediō, nūlla dēfatīgātiō molestiae erat. Cibī vīnīque temperāns, somnī parcus; inter mīlitēs corpus exercēns cum alacribus saltū, cum vēlōcibus cursū, cum validīs lūctandō certābat. Tum ad Sullam iter intendit et in eō itinere trēs hostium exercitūs aut fūdit aut sibi adiūnxit. Quem ubi Sulla ad sē accēdere audīvit ēgregiamque sub sīgnīs iuventūtem aspēxit, dēsiliit ex equō Pompēiumque salūtāvit imperātōrem et posteā eī venientī solēbat sellā adsurgere et caput aperīre et equō dēscendere, quem honōrem nēminī nisi Pompēiō tribuēbat.

III. Posteā Pompēius in Siciliam profectus est, ut eam ā Carbōne, Sullae inimīcō, occupātam reciperet. Carbō comprehēnsus et ad Pompēium ductus est: quem Pompēius, etsi Carbō muliebriter mortem extimēscēns dēmīssē et flēbiliter mortem dēprecābātur, ad supplicium dūcī iussit. Longē moderātior fuit Pompēius ergā Sthenium, Siciliae cūiusdam cīvitātis prīncipem. Cum enim in eam cīvitātem animadvertere dēcrēvisset, quae sibi adversāta fuisset, inīquē eum factūrum Sthenius exclāmāvit, sī ob

Digitized by Google

ūnīus culpam omnēs pūnīret. Interrogantī Pompēiō quisnam ille ūnus esset, "Ego," inquit Sthenius, "quī cīvēs meōs ad id indūxī." Tam līberā vōce dēlectātus Pompēius omnibus et Stheniō ipsī pepercit.

IV. Trānsgressus inde in Āfricam Iarbam, Numidiae rēgem, quī Marī partibus favēbat, bellō persecūtus intrā diēs quadrāgintā oppressit et Āfricam subēgit adulēscēns quattuor et vīgintī annōrum. Deinde cum litterae eī ā Sullā redditae essent, quibus exercitū dīmīssō cum ūnā legiōne successōrem exspectāre iubēbātur, Pompēius, quamquam aegrē id ferēbat, tamen pāruit et Rōmam revertit. Revertentī incrēdibilis hominum multitūdō obviam īvit; Sulla quoque laetus eum excēpit et Māgnī cōgnōmine cōnsalūtāvit. Nihilō minus Pompēiō triumphum petentī restitit; neque vērō eā rē ā prōpositō dēterritus est Pompēius ausus que dīcere plūrēs adōrāre sōlem orientem quam occidentem; quō dictō innuēbat Sullae potentiam minuī, suam crēscere. Eā vōce audītā Sulla, cōnfīdentiā adulēscentis perculsus: "Triumphet! triumphet!" exclāmāvit.

V. Metellō iam senī et bellum in Hispāniā sēgnius gerentī conlēga datus Pompēius adversus Sertōrium variō ēventū dīmicāvit. Māximum ibi in proeliō quōdam perīculum subiit; cum enim vir vāstā corporis māgnitūdine impetum in eum fēcisset, Pompēius manum amputāvit; sed multīs in eum concurrentibus volnus in femore accēpit et ā suīs fugientibus dēsertus in hostium

Digitized by Google

potestāte erat. At praeter spem ēvāsit; barbarī enim equum ēius aurō phalerīsque eximiīs īnstrūctum cēperant. Dum igitur praedam inter sē altercantēs partiuntur, Pompēius eōrum manūs effūgit. Alterō proeliō cum Metellus Pompēiō labōrantī auxiliō vēnisset, Sertōrius recēdere coāctus dīxisse fertur: "Nisi anus illa supervēnisset, ego hunc puerum verberibus castīgātum Rōmam dīmīsissem." Metellum anum appellābat, quia is, iam senex, ad mollem et effēminātam vītam dēflēxerat. Sertōriō interfectō Pompēius Hispāniam recēpit.

VI. Cum pīrātae illā tempestāte maria omnia īnfestārent et quāsdam etiam Ītaliae urbēs dīripuissent, ad eōs opprimendōs cum imperiō extraōrdināriō mīssus est Pompēius. Nimiae virī potentiae obsistēbant quīdam ex optimātibus et imprīmīs Quīntus Catulus. Quī cum in cōntiōne dīxisset esse quidem praeclārum virum Cn. Pompēium, sed nōn esse ūnī omnia tribuenda, adiēcissetque, "Sī quid huic acciderit, quem in ēius locum substituētis?" summō cōnsēnsū succlāmāvit ūniversa cōntio: "Tē, Quīnte Catule." Tam honōrificō cīvium testimōniō vīctus Catulus ē cōntiōne discessit. Pompēius, dispositīs per omnēs maris recessūs nāvibus, brevī terrārum orbem illā peste līberāvit; praedōnēs multīs locīs vīctōs fūdit; eōsdem in dēditiōnem acceptōs in urbibus et agrīs procul ā marī conlocāvit. Nihil hāc vīctōriā celerius; nam intrā quadrāgēsimum diem pīrātās tōtō marī expulit.

Digitized by Google

VII. Cōnfectō bellō pīrāticō Gnaeus Pompēius contrā Mithridātem profectus in Asiam māgnā celeritāte contendit. Proelium cum rēge cōnserere cupiēbat, neque opportūna dabātur pūgnandī facultās, quia Mithridātēs interdiū castrīs sē continēbat, noctū vērō haud tūtum erat congredī cum hoste in locīs īgnōtis. Nocte tamen aliquandō cum Pompēius Mithridātem aggressus esset, lūna māgnō fuit Rōmānīs adiūmentō. Quam cum Rōmānī ā tergō habērent, umbrae corporum longius prōiectae ad prīmōs usque hostium ōrdinēs pertinēbant; unde dēceptī rēgiī mīlitēs in umbrās, tamquam in propīnquum hostem, tēla mittēbant. Vīctus Mithridātēs in Pontum profūgit. Pharnacēs fīlius bellum eī intulit, quī, occīsīs ā patre frātribus, vītae suae ipse timēbat. Mithridātēs ā fīliō obsessus venēnum sūmpsit; quod cum tardius subīret, quia adversus venēna multīs anteā medicāmentīs corpus fīrmāverat, ā mīlite Gallō, ā quō ut adiuvāret sē petierat, interfectus est.

VIII. Tigrānī deinde, Armeniae rēgī, quī Mithridātis partēs secūtus erat, Pompēius bellum intulit eumque ad dēditiōnem compulit. Quī cum prōcubuisset ad genua Pompēī, eum ērēxit, et benīgnīs verbīs recreātum diadēma, quod abiēcerat, capitī repōnere iussit, aequē pulchrum esse iūdicāns et vincere rēgēs et facere. Inde in Iūdaeam profectus Rōmānōrum prīmus Iūdaeōs domuit, Hierosolyma, caput gentis, cēpit, templumque iūre vīctōriae ingressus est. Rēbus Asiae compositīs in

Ītaliam versus ad urbem vēnit, nōn, ut plērīque timuerant, armātus, sed dīmīssō exercitū, et tertium triumphum bīduō dūxit. Īnsīgnis fuit multīs novīs inūsitātīsque ōrnāmentīs hīc triumphus; sed nihil inlūstrius vīsum quam quod tribus triumphīs trēs orbis partēs dēvīctae causam praebuerant; Pompēius enim, quod anteā contigerat nēminī, prīmum ex Āfricā, iterum ex Eurōpā, tertiō ex Asiā triumphāvit, fēlīx opīniōne hominum futūrus, sī, quem glōriae, eundem vītae fīnem habuisset neque adversam fōrtūnam esset expertus iam senex.

IX. Posteriōre enim tempore ortā inter Pompēium et Caesarem gravī dissēnsiōne, quod hīc superiōrem, ille parem ferre nōn posset, bellum cīvīle exārsit. Caesar īnfestō exercitū in Ītaliam vēnit. Pompēius, relīctā urbe āc deinde Ītaliā ipsā, Thessaliam petit et cum eō cōnsulēs senātusque omnis; quem īnsecūtus Caesar apud Pharsālum aciē fūdit. Vīctus Pompēius ad Ptolemaeum, Aegyptī rēgem, cui tūtor ā senātū datus erat, profūgit, quī Pompēium interficī iussit. Latus Pompēī sub oculīs uxōris et līberōrum mūcrōne cōnfossum est, caput praecīsum, truncus in Nīlum coniectus. Deinde caput cum ānulō ad Caesarem dēlātum est, quī eō vīsō lacrimās nōn continēns illud multīs pretiōsissimīsque odōribus cremandum cūrāvit.

X. Is fuit Pompēī post trēs cōnsulātūs et totidem triumphōs vītae exitus. Erant in Pompēiō multae et māgnae virtūtēs āc praecipuē admīranda frūgālitās. Cum eī

Digitized by Google

aegrōtantī praecēpisset medicus ut turdum ederet, negārent autem servī eam avem usquam aestīvō tempore posse reperīrī nisi apud Lūcullum, quī turdōs domī sagīnāret, vetuit Pompēius turdum inde peti, medicōque dīxit: "Ergō, nisi Lūcullus perditus dēliciīs esset, nōn vīveret Pompēius?" Aliam avem, quae parābilis esset, sibi iussit appōnī.

XI. Virīs doctīs māgnum honōrem habēbat Pompēius. Ex Syriā dēcēdēns, cōnfectō bellō Mithridāticō, cum Rhodum vēnisset, Posīdōnium cupiit audīre; sed cum audīvisset eum graviter esse aegrum, quod vehementer ēius artūs labōrārent, voluit tamen nōbilissimum philosophum vīsere. Mōs erat ut, cōnsule aedēs aliquās ingressūrō, līctor forēs percuteret, admonēns cōnsulem adesse; at Pompēius forēs Posīdōnī percutī honōris causā vetuit. Quem ut vīdit et salūtāvit, molestē sē dīxit ferre, quod eum nōn posset audīre. At ille, "Tū vērō," inquit, "potes, nec committam ut dolor corporis efficiat ut frūstrā tantus vir ad mē vēnerit." Itaque cubāns graviter et cōpiōsē dē hōc ipsō disputāvit: nihil esse bonum nisi quod honestum esset, nihil malum dīcī posse quod turpe nōn esset. Cum vērō dolōrēs ācriter eum pungerent, saepe, "Nihil agis," inquit, "dolor! quamvīs sīs molestus, numquam tē esse malum cōnfitēbor."

Digitized by Google

3. GAIUS IULIUS CAESAR

(100—44 a. Chr. n.)

I. C. Iūlius Caesar, nōbilissimā Iūliōrum genitus familiā annum agēns sextum et decimum patrem āmīsit. Cornēliam, Cinnae fīliam, dūxit uxōrem; cūius pater cum esset Sullae inimīcissimus, is Caesarem voluit compellere ut eam repudiāret; neque id potuit efficere. Quā rē Caesar bonīs spoliātus cum etiam ad necem quaererētur, mūtātā veste, nocte urbe ēlapsus est et, quamquam tunc quartānae morbō labōrābat, prope per singulās noctēs latebrās commūtāre cōgēbātur; et comprehēnsus ā Sullae lībertō, nē ad Sullam perdūcerētur, vix datā pecūniā ēvāsit. Postrēmō per propīnquōs et adfīnēs suōs veniam impetrāvit. Satis cōnstat Sullam, cum dēprecantibus amīcissimīs et ōrnātissimīs virīs aliquamdiū dēnegāsset atque illī pertināciter contenderent, expūgnātum tandem prōclāmāsse vincerent, dummodo scīrent eum quem incolumem tantopere cuperent, aliquandō optimātium partibus, quās sēcum simul dēfendissent, exitiō futūrum; nam Caesarī multōs Mariōs inesse.

II. Stīpendia prīma in Asiā fēcit. In expūgnātiōne Mitylēnārum corōnā cīvicā dōnātus est. Mortuō Sullā Rhodum sēcēdere statuit, ut per ōtium Apollōniō Molōnī, tunc clārissimō dīcendī magistrō, operam daret. Hūc dum trāicit, ā praedōnibus captus est mānsitque

Digitized by Google

apud eōs prope quadrāgintā diēs. Per omne autem illud spatium ita sē gessit ut pīrātīs pariter terrōri venerātiōnīque esset. Comitēs interim servōsque ad expediendās pecūniās quibus redimerētur, dīmīsit. Vīgintī talenta pīrātae postulāverant: ille quīnquāgintā datūrum sē spopondit. Quibus numerātīs cum expositus esset in lītore, cōnfestim Mīlētum, quae urbs proximē aberat, properāvit ibique contractā classe invēctus in eum locum in quō ipsī praedōnēs erant, partem classis fugāvit, partem mersit, aliquot nāvēs cēpit pīrātāsque in potestātem redāctōs eō suppliciō quod illīs saepe minātus inter iocum erat, adfēcit crucīque suffīxit.

III. Quaestōri ulterior Hispānia obvēnit. Quō profectus cum Alpēs trānsīret et ad cōnspectum pauperis cūiusdam vīcī comitēs per iocum inter sē disputārent num illīc etiam esset ambitiōnī locus, sēriō dīxit Caesar mālle sē ibi prīmum esse quam Rōmae secundum. Dominātiōnis avidus ā prīmā aetāte rēgnum concupīscēbat semperque in ōre habēbat hōs Eurīpidis, Graecī poētae, versūs:

"Nam sī violandum est iūs, rēgnandī grātiā
Violandum est, aliīs rēbus pietātem colās."

IV. Cumque Gādēs, quod est Hispāniae oppidum, vēnisset, animadversā apud Herculis templum māgnī Alexandrī imāgine ingemuit et quasi pertaesus īgnāviam suam, quod nihildum ā sē memorābile āctum esset in eā aetāte quā iam Alexander orbem terrārum subēgisset,

Digitized by Google

mīssiōnem continuō efflāgitāvit ad captandās quam prīmum māiōrum rērum occāsiōnēs in urbe.

V. Aedīlis praeter comitium āc forum etiam Capitōlium ōrnāvit porticibus. Vēnātiōnēs autem lūdōsque et cum conlēgā M. Bibulō et sēparātim ēdidit; quō factum est ut commūnium quoque impēnsārum sōlus grātiam caperet. Hīs autem rēbus patrimōnium effūdit tantumque cōnflāvit aes aliēnum ut ipse dīceret sibi opus esse mīliēns sēstertiūm ut habēret nihil.

VI. Cōnsul deinde creātus cum M. Bibulō societātem cum Gnaeō Pompēiō et Mārcō Crassō iūnxit Caesar, nē quid agerētur in rē pūblicā quod displicuisset ūllī ex tribus. Deinde lēgem tulit ut ager Campānus plēbī dīviderētur. Cui lēgī cum senātus repūgnāret, rem ad populum dētulit. Bibulus conlēga in forum vēnit, ut lēgī obsisteret, sed tanta in eum commōta est sēditiō ut in caput ēius cophinus stercore plēnus effunderētur fascēsque eī frangerentur atque adeō ipse armīs forō expellerētur. Quā rē cum Bibulus per reliquum annī tempus domō abditus cūriā abstinēret, ūnus ex eō tempore Caesar omnia in rē pūblicā ad arbitrium administrābat, ut nōnnūllī urbānōrum, sī quid testandī grātiā sīgnārent, per iocum nōn, ut mōs erat, cōnsulibus Caesare et Bibulō āctum scrīberent, sed Iūliō et Caesare, ūnum cōnsulem nōmine et cōgnōmine prō duōbus appellantēs.

VII. Fūnctus cōnsulātū Caesar Galliam prōvinciam

Digitized by Google

accēpit. Gessit autem novem annīs quibus in imperiō fuit haec ferē: Galliam in prōvinciae fōrmam redēgit; Germānōs, quī trāns Rhēnum incolunt, prīmus Rōmānōrum pōnte fabricātō aggressus māximīs adfēcit clādibus. Aggressus est Britannōs, īgnōtōs anteā, superātīsque pecūniās et obsidēs imperāvit. Hīc cum multa Rōmānōrum mīlitum īnsīgnia nārrantur, tum illud ēgregium ipsīus Caesaris, quod nūtante in fugam exercitū, raptō fugientis ē manū scūtō, in prīmam volitāns aciem proelium restituit. Īdem aliō proeliō legiōnis aquiliferum, ineundae fugae causā iam conversum, faucibus comprehēnsum in contrāriam partem dētrāxit dextramque ad hostem tendēns, "Quōrsum tū," inquit, "abīs? Illīc sunt cum quibus dīmicāmus." Quā adhortātiōne omnium legiōnum trepidātiōnem corrēxit, vincīque parātās vincere docuit.

VIII. Interfectō intereā apud Parthōs Crassō et dēfūnctā Iūliā, Caesaris fīliā, quae, nūpta Pompēiō, generī socerīque concordiam tenēbat, statim aemulātiō ērūpit. Iam prīdem Pompēiō suspectae Caesaris opēs et Caesarī Pompēiāna dīgnitās gravis, nec hīc ferēbat parem, nec ille superiōrem. Itaque cum Caesar in Galliā dētinērētur, et, nē imperfectō bellō discēderet, postulāsset ut sibi licēret, quamvīs absentī, alterum cōnsulātum petere, ā senātū suādentibus Pompēiō ēiusque amīcīs negātum eī est. Hanc iniūriam acceptam vindicātūrus in Ītaliam rediit et, bellandum ratus, cum exercitū Rubicōnem

Digitized by Google

flūmen, quī prōvinciae ēius fīnis erat, trānsiit. Hōc ad flūmen paulum cōnstitisse fertur āc reputāns quantum mōlīrētur, conversus ad proximōs, "Etiam nunc," inquit, "regredī possumus; quod sī pōnticulum trānsierimus, omnia armīs agenda erunt." Postrēmō autem, "Iacta ālea estō!" exclāmāns exercitum trāicī iussit plūrimīsque urbibus occupātīs Brundisium contendit, quō Pompēius cōnsulēsque cōnfūgerant.

IX. Quī cum inde in Ēpīrum trāiēcissent, Caesar eōs secūtus ā Brundisiō Dyrrhachium inter oppositās classēs gravissimā hieme trānsmīsit; cōpiīsque, quās subsequī iusserat, diūtius cessantibus cum ad eās arcessendās frūstrā mīsisset, mīrae audāciae facinus ēdidit. Morae enim impatiēns castrīs noctū ēgreditur, clam nāviculam cōnscendit, obvolūtō capite nē āgnōscerētur et, quamquam mare saevā tempestāte intumēscēbat, in altum tamen prōtinus dīrigī nāvigium iubet et gubernātōre trepidante, "Quid timēs?" inquit, "Caesarem vehis!" neque prius gubernātōrem cēdere adversae tempestātī passus est quam paene obrutus esset fluctibus.

X. Deinde Caesar in Epīrum profectus Pompēium Pharsālicō proeliō fūdit, et fugientem persecūtus, ut occīsum cōgnōvit, Ptolemaeō rēgī, Pompēī interfectōrī, ā quō sibi quoque īnsidiās tendī vidēret, bellum intulit; quō vīctō in Pontum trānsiit Pharnacemque, Mithridātis fīlium, rebellantem et multiplicī successū praeferōcem intrā quīntum ab adventū diem, quattuor, quibus in cōn-

Digitized by Google

spectum vēnit, hōrīs ūnā prōflīgāvit aciē mōre fulminis quod ūnō eōdemque mōmentō vēnit, percussit, abscessit. Nec vāna dē sē praedicātiō est Caesaris, ante vīctum hostem esse quam vīsum. Ponticō posteā triumphō trium verbōrum praetulit titulum : "Vēnī, vīdī, vīcī." Deinde Scīpiōnem et Iubam, Numidiae rēgem, reliquiās Pompēiānārum partium in Āfricā refoventēs, dēvīcit.

XI. Vīctōrem Āfricānī bellī Gāium Caesarem gravius excēpit Hispāniēnse, quod Cn. Pompēius, Māgnī fīlius, adulēscēns fortissimus, ingēns āc terribile cōnflāverat, undique ad eum auxiliīs paternī nōminis māgnitūdinem sequentium ex tōtō orbe cōnfluentibus. Sua Caesarem in Hispāniam comitāta fōrtūna est ; sed nūllum umquam atrōcius perīculōsiusque ab eō initum proelium, adeō ut, plūs quam dubiō Mārte, dēscenderet equō cōnsistēnsque ante recēdentem suōrum aciem, increpāns fōrtūnam, quod sē in eum servāsset exitum, dēnūntiāret mīlitibus vestīgiō sē nōn recessūrum ; proinde vidērent quem et quō locō imperātōrem dēsertūrī essent. Verēcundiā magis quam virtūte aciēs restitūta est. Cn. Pompēius vīctus et interēmptus est. Caesar, omnium vīctor, regressus in urbem, omnibus quī contrā sē arma tulerant īgnōvit, et quīnquiēns triumphāvit.

XII. Bellīs cīvīlibus confectīs conversus iam ad ōrdinandum reī pūblicae statum, fāstōs corrēxit annumque ad cursum sōlis accommodāvit, ut trecentōrum sexāgintā quīnque diērum esset et intercalāriō mēnse sublātō ūnus

Digitized by Google

diēs quartō quōque annō intercalārētur. Iūs labōriōsissimē āc sevērissimē dīxit. Repetundārum convīctōs etiam ōrdine senātōriō mōvit. Peregrīnārum mercium portōria īnstituit; lēgem praecipuē sūmptuāriam exercuit. Dē ōrnandā īnstruendāque urbe, item dē tuendō ampliandōque imperiō plūra āc māiōra in diēs dēstinābat; imprīmīs iūs cīvīle ad certum modum redigere atque ex immēnsā lēgum cōpiā optima quaeque et necessāria in paucissimōs cōnferre librōs; bibliothēcās Graecās et Latīnās quās māximās posset pūblicāre; siccāre Pomptīnās palūdēs; viam mūnīre ā Marī Superō per Appennīnī dorsum ad Tiberim usque; Dācōs quī sē in Pontum effūderant, coërcēre; mox Parthīs bellum īnferre per Armeniam.

XIII. Haec et alia agentem et meditantem mors praevēnit. Dictātor enim in perpetuum creātus agere īnsolentius coepit; senātum ad sē venientem sedēns excēpit et quendam, ut adsurgeret, monentem īrātō voltū respēxit. Cum Antōnius, Caesaris in omnibus bellīs comes et tunc cōnsulātūs conlēga, capitī ēius in sellā aureā sedentis prō rōstrīs diadēma, īnsīgne rēgium, imposuisset, id ita ab eō est repulsum ut nōn offēnsus vidērētur. Quā rē coniūrātum in eum est ā sexāgintā amplius virīs, Cassiō et Brūtō ducibus conspirationis, dēcrētumque eum Īdibus Mārtiīs in senātū cōnfodere.

XIV. Plūrima indicia futūrī perīculī obtulerant diī immortālēs. Uxor Calpurnia territa nocturnō vīsū, ut

Digitized by Google

Idibus Mārtiīs domī subsisteret ōrābat, et Spūrinna harūspex praedīxerat ut proximōs diēs trīgintā quasi fātālēs cavēret, quōrum ūltimus erat Īdūs Mārtiae. Hōc igitur diē Caesar Spūrinnae, "Ecquid scīs," inquit, "Īdūs Mārtiās iam vēnisse?" et is, "Ecquid scīs illās nōndum praeterīsse?" Atque cum Caesar eō diē in senātum vēnisset, adsidentem conspīrātī speciē officī circumstetērunt īlicōque ūnus, quasi aliquid rogātūrus, propius accessit renuentīque ab utrōque umerō togam apprehendit. Deinde clāmantem, "Ista quidem vīs est," Casca, ūnus ē coniūrātīs, adversum volnerat paulum īnfrā iugulum. Caesar Cascae bracchium adreptum graphiō trāiēcit cōnātusque prōsilīre aliō volnere tardātus est. Dein ut animadvertit undique sē strictīs pugiōnibus petī, togā caput obvolvit et ita tribus et vīgintī plāgīs cōnfossus est. Cum Mārcum Brūtum, quem fīlī locō habēbat, in sē inruentem vīdisset, dīxisse fertur: "Tū quoque, mī fīlī!"

XV. Illud inter omnēs ferē cōnstitit, tālem eī mortem paene ex sententiā obtigisse. Nam et quondam cum apud Xenophōntem lēgisset Cȳrum ūltimā valētūdine mandāsse quaedam dē fūnere suō, āspernātus tam lentum mortis genus, subitam sibi celeremque optāverat, et prīdiē quam occīderētur, in sermōne nātō super cēnam quisnam esset fīnis vītae commodissimus, repentīnum inopīnātumque praetulerat. Percussōrum autem neque trienniō quisquam amplius supervīxit neque suā morte

Digitized by Google

dēfūnctus est. Damnātī omnēs alius aliō cāsū periērunt, pars naufragiō, pars proeliō; nōnnūllī sēmet eōdem illō pugiōne quō Caesarem violāverant, interēmērunt.

XVI. Quō rārior in rēgibus et prīncipibus virīs moderātiō, hōc laudanda magis est. C. Iūlius Caesar vīctōriā cīvīlī clēmentissimē ūsus est; cum enim scrīnia dēprehendisset epistulārum ad Pompēium mīssārum ab eīs quī vidēbantur aut in dīversīs aut in neutrīs fuisse partibus, legere nōluit, sed combūssit, nē fōrte in multōs gravius cōnsulendī locum darent. Cicerō hanc laudem eximiam Caesarī tribuit, quod nihil oblīvīscī solēret nisi iniūriās. Simultātēs omnēs occāsiōne oblātā libēns dēposuit. Ūltrō āc prior scrīpsit C. Calvō post fāmōsa ēius adversum sē epigrammata. Valerium Catullum, cūius versiculīs fāmam suam laceratam nōn īgnōrābat, adhibuit cēnae. C. Memmī suffrāgātor in petītiōne cōnsulātūs fuit, etsī asperrimās fuisse ēius in sē ōrātiōnēs sciēbat.

XVII. Fuisse trāditur excelsā statūrā, ōre paulō plēniōre, nigrīs vegetīsque oculīs, capite calvo; quam calvitī dēfōrmitātem, quod saepe obtrectātōrum iocīs obnoxia erat, aegrē ferēbat. Ideō ex omnibus dēcrētīs sibi ā senātū populōque honōribus nōn alium aut recēpit aut ūsūrpāvit libentius quam iūs laureae perpetuō gestandae. Vīnī parcissimum eum fuisse nē inimīcī quidem negāvērunt. Verbum Catōnis est, ūnum ex omnibus Caesarem ad ēvertendam rem pūblicam sōbrium accessisse. Armōrum et equitandī perītissimus, labōris ūltrā

Digitized by Google

fidem patiēns; in āgmine nōnnumquam equō, saepius pedibus anteībat, capite dētēctō, seu sōl, seu imber erat. Longissimās viās incrēdibilī celeritāte cōnficiēbat, ut persaepe nūntiōs dē sē praevenīret; neque eum morābantur flūmina, quae vel nandō vel innīxus īnflātīs ūtribus trāiciēbat.

4. MARCUS TULLIUS CICERO

(106—43 a. Chr. n.)

I. Mārcus Tullius Cicerō, equestrī genere, Arpīnī, quod est Volscōrum oppidum, nātus est. Ex ēius avīs ūnus verrūcam in extrēmō nāsō sitam habuit, ciceris grānō similem; inde cōgnōmen Cicerōnis gentī inditum. Suādentibus quibusdam ut id nōmen mūtāret: "Dabō operam," inquit, "ut istud cōgnōmen nōbilissimōrum nōminum splendōrem vincat." Cum ā patre Rōmam mīssus, ubī celeberrimōrum magistrōrum scholīs interesset, eās artēs disceret quibus aetās puerīlis ad hūmānitātem solet īnfōrmārī, tantō successū tantāque cum praeceptōrum tum cēterōrum discipulōrum admīrātiōne id fēcit ut, cum fāma dē Cicerōnis ingeniō et doctrīnā ad aliōs mānāsset, nōn paucī, quī ēius videndī et audiendī grātiā scholās adīrent, repertī esse dīcantur.

II. Cum nūllā rē magis ad summōs in rē pūblicā honōrēs viam mūnīrī posse intellegeret quam arte dīcendī et ēloquentiā, tōtō animō in ēius studium incubuit; in

Digitized by Google

quō quidem ita versātus est ut nōn sōlum eōs, quī in forō et iūdiciīs causās perōrārent, studiōsē sectārētur, sed prīvātim quoque dīligentissimē sē exercēret. Prīmum ēloquentiam et lībertātem adversus Sullānōs ostendit. Nam cum Rōscium quendam, parricīdī accūsatum, ob Chrȳsogonī, Sullae lībertī, quī in ēius adversāriīs erat, potentiam nēmō dēfendere audēret, tantā ēloquentiae vī eum dēfendit Cicerō ut iam tum in arte dīcendī nūllus eī pār esse vidērētur. Ex quō invidiam veritus Athēnās studiōrum grātiā petiit, ubi Antiochum philosophum studiōsē audīvit. Inde ēloquentiae causā Rhodum sē contulit, ubi Molōnem, Graecum rhētorem tum disertissimum, magistrum habuit. Quī cum Cicerōnem dīcentem audīvisset, flēvisse dīcitur, quod per hunc Graecia ēloquentiae laude prīvārētur.

III. Rōmam reversus quaestor Siciliam habuit. Nūllīus vērō quaestūra aut grātior aut clārior fuit; cum māgna tum esset annōnae difficultās, initiō molestus erat Siculīs, quōs cōgeret frūmenta in urbem mittere; posteā vērō, dīligentiam et iūstitiam et cōmitātem ēius expertī, māiōrēs quaestōrī suō honōrēs quam ūllī umquam praetōrī dētulērunt. E Siciliā reversus Rōmam in causīs dīcendīs ita flōruit ut inter omnēs causārum patrōnōs et esset et habērētur prīnceps.

IV. Cōnsul deinde factus L. Sergī Catilīnae coniūrātiōnem singulārī virtūte, cōnstantiā, cūrā compressit. Catilīnae proavum, M. Sergium, incrēdibilī fortitūdine

Digitized by Google

fuisse Plīnius refert. Stīpendia is fēcit secundō bellō Pūnicō. Secundō stīpendiō dextram manum perdidit; stīpendiīs duōbus ter et vīciēns volnerātus est; ob id neutrā manū, neutrō pede satis ūtilis, plūrimīsque posteā stīpendiīs dēbilis, mīles erat. Bis ab Hannibale captus, bis vinculōrum ēius profugus, vīgintī mēnsibus nūllō nōn diē in catēnīs aut compedibus custōdītus. Sinistrā manū sōlā quater pūgnāvit, duōbus equīs īnsidente eō suffossīs. Dextram sibi ferream fēcit eāque religātā proeliātus Cremōnam obsidiōne exēmit, Placentiam tūtātus est, duodēna castra hostium in Galliā cēpit. "Cēterī profectō," Plīnius addit, "vīctōrēs hominum fuēre, Sergius vīcit etiam fōrtūnam."

V. Singulārem hūius virī glōriam foedē dehonestāvit pronepōtis scelus. Hīc enim reī familiāris, quam profūderat, inopiā multōrumque scelerum cōnscientiā in furōrem āctus et dominandī cupiditāte incēnsus, indīgnātusque quod in petītiōne cōnsulātūs repulsam passus esset, coniūrātiōne factā, senātum cōnfodere, cōnsulēs trucīdāre, urbem incendere, dīripere aerārium cōnstituerat. Āctum erat dē pulcherrimō imperiō, nisi illa coniūrātiō in Cicerōnem et Antōnium cōnsulēs incidisset, quōrum alter industriā rem patefēcit, alter manū oppressit. Cum Cicerō habitō senātū in praesentem reum perōrāsset, Catilīna, incendium suum ruīnā sē restinctūrum esse minitāns, Rōmā profugit et ad exercitum quem parāverat, proficīscitur, sīgna inlātūrus urbī. Sed sociī

Digitized by Google

ēius, quī in urbe remānserant, comprehēnsī in carcere necātī sunt. A. Fulvius, vir senātōriī ōrdinis, fīlium, iuvenem et ingeniō et fōrmā inter aequālēs nitentem, prāvō cōnsiliō Catilīnae amīcitiam secūtum inque castra ēius ruentem, ex mediō itinere retractum suppliciō mortis adfēcit, praefātus nōn sē Catilīnae illum adversus patriam, sed patriae adversus Catilīnam genuisse.

VI. Neque eō magis ab inceptō Catilīna dēstitit, sed īnfestīs sīgnīs Rōmam petēns Antōnī exercitū opprimitur. Quam atrōciter dīmicātum sit, exitus docuit; nēmō hostium bellō superfuit; quem quisque in pūgnandō cēperat locum, eum āmīssā animā tegēbat. Catilīna longē a suīs inter hostium cadāvera repertus est: pulcherrimā morte, sī prō patriā sīc concidisset! Senātus populusque Rōmānus Cicerōnem patrem patriae appellāvit. Cicerō ipse in ōrātiōne prō Sullā palam praedicat cōnsilium patriae servandae fuisse iniectum sibi ā diīs, cum Catilīna coniūrāsset adversus eam. "Ō diī immortāles," inquit, "vōs profectō incendistis tum animum meum cupiditāte cōnservandae patriae. Vōs āvocāstis mē ā cōgitātiōnibus omnibus cēterīs et convertistis ad salūtem ūnam patriae. Vōs dēnique praetulistis mentī meae clārissimum lūmen in tenebrīs tantīs errōris et īnscientiae. Tribuam enim vōbis quae sunt vestra. Nec vērō possum tantum dare ingeniō meō ut dīspēxerim sponte meā, in tempestāte illā turbulentissimā reī pūblicae, quid esset optimum factū."

Digitized by Google

VII. Paucīs post annīs Cicerōnī diem dīxit Clōdius tribūnus plēbis, quod cīvēs Rōmānōs indictā causā necāvisset. Senātus maestus, tamquam in pūblicō lūctū, veste mūtātā prō eō dēprecābātur. Cicerō, cum posset armīs salūtem suam dēfendere, māluit urbe cēdere quam suā causā caedem fierī. Proficīscentem omnēs bonī flentēs prōsecūtī sunt. Dein Clōdius ēdictum prōposuit ut Mārcō Tulliō īgnī et aquā interdīcerētur ; illīus domum et vīllās incendit. Sed vīs illa nōn diūturna fuit ; mox enim tōtus ferē populus Rōmānus ingentī dēsīderiō Cicerōnis reditum flāgitāre coepit et māximō omnium ōrdinum studiō Cicerō in patriam revocātus est. Nihil per tōtam vītam Cicerōnī itinere quō in patriam rediit, accidit iūcundius. Obviam eī redeuntī ab ūniversīs itum est ; domus ēius pūblicā pecūniā restitūta est.

VIII. Gravissimae illā tempestāte inter Caesarem et Pompēium ortae sunt inimīcitiae, ut rēs nisi bellō dirimī nōn posse vidērētur. Cicerō quidem summō studiō ēnītēbātur ut eōs inter sē reconciliāret et ā bellī cīvīlis calamitātibus dēterrēret, sed cum neutrum ad pācem ineundam permovēre posset, Pompēium secūtus est. Sed vīctō Pompēiō, ā Caesare vīctōre veniam ūltrō accēpit. Quō interfectō Octāviānum, Caesaris hērēdem, fōvit, Antōnium impūgnāvit effēcitque ut ā senātū hostis iūdicārētur.

IX. Sed Antōnius, initā cum Octāviānō societāte, Cicerōnem iam diū sibi inimīcum prōscrīpsit. Quā rē audītā Cicerō trānsversīs itineribus in vīllam, quae ā

Digitized by Google

marī proximē aberat, fūgit indeque nāvem cōnscendit in Macedoniam trānsitūrus. Unde aliquotiēns in altum prōvēctum cum modo ventī adversī rettulissent, modo ipse iactātiōnem maris patī nōn posset, taedium tandem eum et fugae et vītae cēpit regressusque ad vīllam, "Moriar," inquit, "in patriā saepe servātā." Satis cōnstat, adventantibus percussōribus servōs fortiter fidēliterque parātōs fuisse ad dīmicandum, ipsum dēpōnī lectīcam et quiētōs patī quod sors inīqua cōgeret, iussisse. Prōminentī ex lectīcā et immōtam cervīcem praebentī caput praecīsum est. Manūs quoque abscīsae; caput relātum est ad Antōnium ēiusque iūssū cum dextrā manū in rōstrīs positum.

X. Quam diū rēs pūblica Rōmāna per eōs gerēbātur quibus sē ipsa commīserat, in eam cūrās cōgitātiōnēsque ferē omnēs suās cōnferēbat Cicerō et plūs operae pōnēbat in agendō quam in scrībendō. Cum autem dominātū ūnīus C. Iūlī Caesaris omnia tenērentur, nōn sē angōribus dēdidit nec indīgnīs homine doctō voluptātibus. Fugiēns cōnspectum forī urbisque rūra peragrābat abdēbatque sē, quantum licēbat, et sōlus erat. Nihil agere autem cum animus nōn posset, exīstimāvit honestissimē molestiās posse dēpōnī, sī sē ad philosophiam rettulisset, cui adulēscēns multum temporis tribuerat, et omne studium cūramque convertit ad scrībendum; atque ut cīvibus etiam ōtiōsus aliquid prōdesse posset, ēlabōrāvit ut doctiōrēs fierent et sapientiōrēs, plūraque brevī

tempore ēversā rē pūblicā scrīpsit quam multīs annīs eā stante scrīpserat. Sīc fācundiae et Latīnārum litterārum parēns ēvāsit pāruitque virōrum sapientium praeceptō, quī docent nōn sōlum ex malīs ēligere minima oportēre, sed etiam excerpere ex hīs ipsīs, sī quid īnsit bonī.

XI. Multa exstant facētē ab eō dicta. Cum Lentulum, generum suum, exiguae statūrae hominem, vīdisset longō gladiō accinctum, "Quis," inquit, "generum meum ad gladium adligāvit?"—Mātrōna quaedam iūniōrem sē quam erat simulāns dictitābat sē trīgintā tantum annōs habēre; cui Cicerō, "Vērum est," inquit, "nam hōc vīgintī annōs audiō."—Caesar, alterō cōnsule mortuō diē Decembris ūltimā, Canīnium cōnsulem hōrā septimā in reliquam diēī partem renūntiāverat, quem cum plērīque īrent salūtātum dē mōre, "Festīnēmus," inquit Cicerō, "priusquam abeat magistrātū." Dē eōdem Canīniō scrīpsit Cicerō: "Fuit mīrificā vigilantiā Canīnius, quī tōtō suō cōnsulātū somnum nōn vīderit."

5. OCTAVIANUS CAESAR AUGUSTUS

(44 a. Chr. n. — 14 p. Chr. n.)

I. Octāviānus, Iūliae, Gaī Caesaris sorōris, nepōs, quartum annum agēns patrem āmīsit. Ab avunculō adoptātus profectum eum in Hispāniās adversus Gnaei Pompēī līberōs secūtus est. Deinde ab eō Apollōniam mīssus studiīs vacāvit. Utque prīmum occīsum Cae-

Digitized by Google

sarem hērēdemque sē comperit, in urbem regressus hērēditātem adiit, nōmen Caesaris sūmpsit conlēctōque veterānōrum exercitū opem Decimō Brūtō tulit, quī ab Antōniō Mutinae obsidēbātur. Cum autem urbis aditū prohibērētur, ut Brūtum dē omnibus rēbus certiōrem faceret, prīmō litterās mīsit plumbeīs lāminīs īnscrīptās, quās ad bracchium religātās ūrīnātōrēs Scultennam amnem trānantēs ad Brūtum dēferēbant. Quīn et avibus internūntiīs ūtēbātur. Columbīs enim, quās inclūsās ante famē adfēcerat, epistulās ad collum religābat eāsque ā proximō moenibus locō ēmittēbat. Illae, lūcis cibīque avidae, altissima aedificiōrum petentēs excipiēbantur ā Decimō Brūtō; quī eō modō dē omnibus rēbus certior fīēbat, utique postquam dispositō quibusdam locīs cibō columbās illūc dēvolāre īnstituerat.

II. Bellum Mutinēnse Octāviānus duōbus proeliīs cōnfēcit; quōrum in alterō nōn ducis modo, sed mīlitis etiam fūnctus est officiō atque in mediā dīmicātiōne, aquiliferō legiōnis suae graviter sauciō, aquilam umerīs subīsse diūque fertur portāsse. Posteā reconciliātā cum Antōniō grātiā iūnctīsque cum eō cōpiīs, ut Gāī Caesaris necem ulcīscerētur, ad urbem hostīliter accessit mīsitque quī nōmine exercitūs sibi cōnsulātum dēposcerent. Cunctante senātū centuriō, prīnceps lēgātiōnis, rēiectō sagulō, ostendēns gladī capulum nōn dubitāvit in cūriā dīcere: "Hīc faciet, sī vōs nōn fēceritis."

III. Ita cum Octāviānus vīcēsimō aetātis annō cōn-

Digitized by Google

sulātum invāsisset, pācem fēcit cum Antōniō et Lepidō ita ut triumvirī reī pūblicae cōnstituendae per quīnquennium essent ipse et Lepidus et Antōnius, et ut suōs quisque inimīcōs prōscrīberent. Quae prōscrīptiō Sullānā longē crūdēlior fuit. Exstant autem ex eā multa vel extrēmae impietātis vel mīrae fideī āc cōnstantiae exempla. T. Tōranius, triumvirōrum partēs secūtus, prōscrīptī patris suī, praetōriī et ōrnātī virī, latebrās, aetātem, notāsque corporis quibus āgnōscī posset, centuriōnibus ēdidit, quī eum persecūtī sunt. Alius quīdam cum prōscrīptum sē cōgnōvisset, ad clientem suum cōnfūgit ; sed fīlius ēius, per ipsa vestīgia patris mīlitibus ductīs, occīdendum eum in cōnspectū suō obiēcit.

IV. Cum C. Plōtius Plancus ā triumvirīs prōscrīptus in regiōne Salernitānā latēret, servī ēius comprehēnsī multumque āc diū tortī negābant sē scīre ubi dominus esset. Nōn sustinuit deinde Plancus tam fidēlēs tamque bonī exemplī servōs ūlterius cruciārī ; sed prōcessit in medium iugulumque gladiīs mīlitum obiēcit.

Senātōris cūiusdam servus cum ad dominum prōscrīptum occīdendum mīlitēs advēnisse cōgnōsset, commūtātā cum eō veste, permūtātō etiam ānulo, illum postīcō clam ēmīsit, sē autem in cubiculum ad lectulum recēpit et ut dominum occīdī passus est. "Quantī virī est," addit Seneca, "cum praemia prōditiōnis ingentia ostendantur, praemium fideī mortem concupīscere!"

Digitized by Google

V. Octāviānus deinde M. Brūtum, interfectōrem Caesaris, bellō persecūtus id bellum, quamquam invalidus atque aeger duplicī proeliō trānsēgit; quōrum priōre castrīs exūtus vix fugā ēvāsit. Vīctor acerbissimē sē gessit; in nōbilissimum quemque captīvum nōn sine verbōrum contumēliā saeviit. Ūnī suppliciter sepultūram precantī respondisse dīcitur iam istam in volucrum fore potestāte. Aliōs, patrem et fīlium, prō vītā rogantēs, sortīrī fertur iussisse, ut alterutrī concēderētur, āc cum patre, quia sē obtulerat, occīsō fīlius quoque voluntāriā occubuisset nece, spectāsse utrumque morientem. Orāre veniam vel excūsāre sē cōnantibus ūnā vōce occurrēbat, moriendum esse. Scrībunt quīdam trecentōs ex dēditīciīs ēlēctōs ad āram dīvō Iūliō exstrūctam Īdibus Mārtiīs hostiārum mōre māctātōs.

VI. Abaliēnātus posteā est ab Antōniō, quod is repudiātā Octāviā sorōre Cleopatram, Aegyptī rēgīnam, dūxisset uxōrem; quae quidem mulier cum Antōniō lūxū et dēliciīs certābat. Ūnā sē cēnā centiēns sēstertiūm absūmptūram aliquandō dīxerat. Cupiēbat discere Antōnius, sed fierī posse nōn arbitrābātur. Posterō igitur diē māgnificam aliās cēnam, sed cottīdiānam Antōniō apposuit inrīdentī quod prōmīssō stāre nōn potuisset. At illa īnferrī mēnsam secundam iussit. Ex praeceptō ministrī ūnum tantum vās ante eam posuēre acētī, cūius asperitās vīsque margarītās resolvit. Exspectante igitur Antōniō quidnam esset āctūra, margarītam, quam auribus

Digitized by Google

gerēbat, dētrāxit et acētō liquefactam absorbuit. Vīctum Antōnium omnēs, quī aderant, prōnūntiāvērunt.

VII. Octāviānus cum Antōniō apud Actium, quī locus est in Epīrō, nāvālī proeliō dīmicāvit. Vīctum et fugientem persecūtus Aegyptum petiit, et Alexandriam, quō Antōnius cum Cleopatrā cōnfūgerat, obsēdit. Antōnius in ūltimā rērum dēspērātiōne, cum habitū rēgis in soliō rēgālī sēdisset, mortem sibi ipse cōnscīvit. Cleopatra, quam Octāviānus, Alexandrīā in potestātem redāctā, māgnopere cupiēbat vīvam comprehendī triumphōque servārī, aspidem sibi adferendam cūrāvit ēiusque morsū periit. Cleopatrae mortuae commūnem cum Antōniō sepultūram tribuit.

VIII. Tandem Octāviānus, hostibus vīctīs, sōlus imperiō potītus, clēmentem sē exhibuit. Omnia deinceps in eō plēna mānsuētūdinis et hūmānitātis. Multīs īgnōvit vel eīs quī saepe graviter eum offenderant. Reversus in Ītaliam triumphāns Rōmam ingressus est. Tum bellīs tōtō orbe compositīs Iānī geminī portās suā manū clausit, quae bis tantum anteā clausae fuerant, prīmum sub Numā rēge, iterum post prīmum Pūnicum bellum. Tunc omnēs praeteritōrum malōrum oblīviō cēpit populusque Rōmānus praesentis ōtī laetitiā perfruēbātur. Octāviānō māximī honōrēs ā senātū dēlātī sunt. Ipse Augustus cōgnōminātus et in honōrem ēius mēnsis Sextīlis eōdem nōmine appellātus est, quod illō mēnse bellīs cīvīlibus fīnis esset impositus. Patris patriae

Digitized by Google

cōgnōmen ūniversī māximō cōnsēnsū dētulērunt eī. Dēferentibus lacrimāns respondit Augustus hīs verbīs: "Compos factus vōtōrum meōrum, patrēs cōnscrīptī, quid habeō aliud quod deōs immortālēs precer, quam ut hunc cōnsēnsum vestrum ad ūltimum vītae fīnem mihi perferre liceat!"

IX. Dictātūram māgnā vī offerente populō dēprecātus est. Dominī appellātiōnem semper exhorruit eamque sibi tribuī ēdictō vetuit. Immō dē restituendā rē pūblicā nōn semel cōgitāvit, sed reputāns et sē prīvātum nōn sine perīculō fore, et rem pūblicam plūrium arbitriō commīssum īrī, summam retinuit potestātem, id vērō studuit, nē quem novī statūs paenitēret. Bene dē eīs etiam quōs adversāriōs expertus erat, et sentiēbat et loquēbātur. Legentem aliquandō ūnum ē nepōtibus invēnit; cumque puer territus volūmen Cicerōnis, quod manū tenēbat, veste tegeret, Augustus librum cēpit eōque statim redditō: "Hīc vir," inquit, "fīlī mī, doctus fuit et patriae amāns."

X. Pedibus saepe per urbem incēdēbat summāque cōmitāte adeuntēs excipiēbat. Convēnit aliquandō eum veterānus mīles, quī vocātus in iūs perīclitābātur, rogāvitque ut sibi adesset; statim Augustus ūnum ē comitātū suō ēlēgit advocātum, quī lītigātōrem commendāret. Tum veterānus exclāmāvit, "At nōn ego, tē perīclitante bellō Actiacō, vicārium quaesīvī, sed ipse prō tē pūgnāvī," simulque dētēxit cicātrīcēs.

Digitized by Google

Erubuit Augustus atque ipse vēnit in advocātiōnem.

XI. Cum post Actiacam vīctōriam Octāviānus Rōmam reverterētur, occurrit eī inter grātulantēs opifex quīdam corvum tenēns, quem īnstituerat haec dīcere: "Avē, Caesar, vīctor, imperātor!" Mīrātus Caesar officiōsam avem vīgintī mīlibus nummōrum ēmit. Socius opificis, ad quem nihil ex illā līberālitāte pervēnerat, adfīrmāvit Caesarī habēre illum et alium corvum, quem ut adferre cōgerētur rogāvit. Adlātus verba quae didicerat, expressit: "Avē, Antōni, vīctor, imperātor!" Nihil exasperātus Caesar satis dūxit iubēre illum dīvidere dōnātīvum cum contubernālī. Salūtātus similiter ā psittacō emī eum iussit.

XII. Exemplum sūtōrem pauperem sollicitāvit ut corvum īnstitueret ad parem salūtātiōnem. Quī impendiō exhaustus saepe ad avem nōn respondentem dīcere solēbat: "Opera et impēnsa periit!" Aliquandō tamen corvus coepit dīcere dictam salūtātiōnem. Hāc audītā, dum trānsit, Augustus respondit: "Satis domī tālium salūtātōrum habeō." Superfuit corvō memoria, ut et illa, quibus dominum querentem solēbat audīre, subtexeret, "Opera et impēnsa periit." Ad quod Caesar rīsit emīque avem iussit quantī nūllam ante ēmerat.

XIII. Solēbat Graeculus quīdam dēscendentī ē palātiō Caesarī honōrificum aliquod epigramma porrigere. Id cum frūstrā saepe fēcisset et tamen rūrsus eum idem

Digitized by Google

factūrum dūxisset Augustus, breve suā manū in chartā exarāvit Graecum epigramma et Graeculō advenientī obviam mīsit. Ille inter legendum laudāre mīrārīque tam vōce quam voltū gestūque. Deinde cum accessisset ad sellam quā Caesar vehēbātur, dēmīssā in pauperem crumēnam manū paucōs dēnāriōs prōtulit, quōs prīncipī daret dīxitque sē plūs datūrum fuisse, sī plūs habuisset. Secūtō omnium rīsū dispēnsātōrem Caesar vocāvit et satis grandem pecūniae summam numerārī Graeculō iussit.

XIV. Augustus ferē nūllī sē invītantī negābat. Exceptus igitur ā quōdam cēnā satis parcā et paene cottīdiānā, hōc tantum īnsusurrāvit, "Nōn putābam mē tibi esse tam familiārem." Cum aliquandō apud Pōlliōnem quendam cēnāret frēgissetque ūnus ē servīs vās crystallinum, rapī eum ad mortem Pōlliō iussit et obicī mūraenīs quās ingēns piscīna continēbat. Ēvāsit ē manibus puer et ad pedēs Caesaris cōnfūgit nihil aliud petītūrus quam ut alitur perīret nec ēsca piscium fieret. Mōtus est novō crūdēlitātis genere Caesar et illum quidem mittī, crystallina autem omnia cōram sē frangī iussit complērīque piscīnam.

XV. Augustus in quādam vīllā aegrōtāns noctēs inquiētās agēbat, rumpente somnum ēius crēbrō noctuae cantū. Quā molestiā cum līberārī sē vehementer cupere sīgnificāsset, mīles quīdam, aucupī perītus, noctuam prehendendam cūrāvit, vīvamque Augustō attulit spē

Digitized by Google

ingentis praemī. Cui cum Augustus mīlle nummōs darī iussisset, ille minus dīgnum praemium exīstimāns dīcere ausus est, "Mālō ut vīvat," et avem dīmīsit. Imperātōrī nec ad īrāscendum causa deerat nec ad ulcīscendum potestās; hanc tamen iniūriam aequō animō tulit Augustus hominemque impūnītum abīre passus est.

XVI. Augustus amīcitiās neque facile admīsit et cōnstantissimē retinuit. Imprīmīs familiārem habuit Maecēnātem, equitem Rōmānum; quī eā quā apud prīncipem valēbat grātiā ita semper ūsus est ut prōdesset omnibus quibus posset, nocēret nēminī. Iūs aliquandō dīcēbat Augustus et multōs capite damnātūrus vidēbātur. Aderat tum Maecēnās, quī per circumstantium turbam perrumpere et ad tribūnal propius accēdere cōnābātur. Quod cum frūstrā temptāsset, haec verba in tabellā scrīpsit, "Surge tandem, carnifex!" eamque tabellam ad Augustum prōiēcit. Quā lēctā is statim surrēxit neque quisquam est morte multātus.

XVII. Habitāvit Augustus in aedibus modicīs, neque laxitāte neque cultū cōnspicuīs, āc per annōs amplius quadrāgintā in eōdem cubiculō hieme et aestāte mānsit. Supellex quoque ēius vix prīvātae ēlegantiae erat. Rārō veste aliā ūsus est quam cōnfectā ab uxōre, sorōre, fīliā neptibusque. Item tamen Rōmam, quam prō māiestāte imperī nōn satis ōrnātam invēnerat, adeō excoluit ut iūre glōriārētur marmoream sē relinquere quam laterīciam accēpisset.

Digitized by Google

XVIII. Fōrmā fuit Augustus eximiā et per omnēs aetātis gradūs venustissimā. Erat tamen omnis lēnōcinī neglegēns et in capite cōmendō tam incūriōsus ut eō ipsō tempore quō illud tōnsōribus committeret, aut legeret aliquid aut etiam scrīberet.

XIX. Paucīs annīs ante quam morerētur, gravissimam in Germāniā accēpit clādem, tribus legiōnibus cum duce Vārō lēgātīsque et auxiliīs omnibus caesīs. Hāc nūntiātā excubiās per urbem indīxit, nē quis tumultus exsisteret, et māgnōs lūdōs Iovī optimō māximō vōvit, sī rēs pūblica in meliōrem statum vertisset. Adeō dēnique cōnsternātum ferunt ut, per continuōs mēnsēs barbā capillōque submīssō, caput interdum foribus inlīderet, vōciferāns: "Quīnctilī Vāre, legiōnēs redde!" diemque clādis quotannīs maestum habuerit āc lūgubrem.

XX. Tandem adflīctā valētūdine in Campāniam concessit, ubi, remīssō ad ōtium animō, nūllō hilaritātis genere abstinuit. Suprēmō vītae diē petītō speculō capillum sibi cōmī iussit et amīcōs circumstantēs percontātus ecquid eīs vidērētur mīmum vītae commodē trānsēgisse, adiēcit solitam clausulam: "Ēdite strepitum vōsque omnēs cum gaudiō applaudite." Obiit Nōlae sextum et septuāgēsimum annum agēns.

Digitized by Google

SELECTIONS FROM "NEPOS"

1. MILTIADES

I. Miltiadēs, Cimōnis fīlius, Athēniēnsis, cum et antīquitāte generis et glōriā māiōrum et suā modestiā ūnus omnium māximē flōrēret eāque esset aetāte ut nōn iam sōlum dē eō bene spērāre, sed etiam cōnfīdere cīvēs possent suī tālem eum futūrum quālem cōgnitum iūdicārunt, accidit ut Athēniēnsēs Chersonēsum colōnōs vellent mittere. Cūius generis cum māgnus numerus esset et multī ēius dēmigrātiōnis peterent societātem, ex hīs dēlēctī Delphōs dēlīberātum mīssī sunt, quī cōnsulerent Apollinem, quō potissimum duce ūterentur. Namque tum Thrāces eās regiōnēs tenēbant, cum quibus armīs erat dīmicandum. Hīs cōnsulentibus nōminātim Pythia praecēpit ut Miltiadem imperātōrem sibi sūmerent : id sī fēcissent, incepta prōspera futūra. Hōc ōrāculī respōnsō Miltiadēs cum dēlēctā manū classe Chersonēsum profectus cum accessisset Lemnum et incolās ēius īnsulae sub potestātem redigere vellet Athēniēnsium, idque Lemniī suā sponte facerent postulāsset, illī inrīdentēs respondērunt tum id sē factūrōs cum ille domō nāvibus proficīscēns ventō aquilōne vēnisset Lemnum. Hīc enim

Digitized by Google

ventus ab septentriōnibus oriēns adversum tenet Athēnīs proficīscentibus. Miltiadēs morandī tempus nōn habēns cursum dīrēxit quō tendēbat pervēnitque Chersonēsum.

II. Ibi brevī tempore barbarūm cōpiīs disiectīs, tōtā regiōne quam petierat potītus, loca castellīs idōnea commūniit, multitūdinem quam sēcum dūxerat in agrīs conlocāvit crēbīsque excursiōnibus locuplētāvit. Neque minus in eā rē prūdentiā quam fēlīcitāte adiūtus est. Nam cum virtūte mīlitum dēvīcisset hostium exercitūs, summā aequitāte rēs cōnstituit atque ipse ibīdem manēre dēcrēvit. Erat enim inter eōs dīgnitāte rēgiā, quamvīs carēbat nōmine, neque id magis imperiō quam iūstitiā cōnsecūtus. Neque eō sētius Athēniēnsibus, ā quibus erat profectus, officia praestābat. Quibus rēbus fīēbat ut nōn minus eōrum voluntāte perpetuum imperium obtinēret quī mīserant, quam illōrum cum quibus erat profectus. Chersonēsō tālī modō cōnstitūtā Lemnum revertitur et ex pactō postulat ut sibi urbem trādant. Illī enim dīxerant, cum ventō boreā domō profectus eō pervēnisset, sēsē dēditūrōs, sē autem domum Chersonēsī habēre. Cāres, quī tum Lemnum incolēbant, etsī praeter opīniōnem rēs ceciderat, tamen nōn dictō, sed secundā fōrtūnā adversāriōrum captī, resistere ausī nōn sunt atque ex īnsulā dēmigrārunt. Parī fēlīcitāte cēterās īnsulās, quae Cȳclades nōminantur, sub Athēniēnsium redēgit potestātem.

III. Iīsdem temporibus Persārum rēx Dārīus ex Asiā

Digitized by Google

in Eurōpam exercitū trāiectō Scythīs bellum īnferre dēcrēvit. Pōntem fēcit in Histrō flūmine, quā cōpiās trādūceret. Ēius pōntis, dum ipse abesset, cūstōdēs relīquit prīncipēs quōs sēcum ex Iōniā et Aeolide dūxerat: quibus singulīs ipsōrum urbium perpetua dederat imperia. Sīc enim facillimē putāvit sē Graecā linguā loquentēs, quī Asiam incolerent, sub suā retentūrum potestāte, sī amīcīs suīs oppida tuenda trādidisset, quibus sē oppressō nūlla spēs salūtis relinquerētur. In hōc fuit tum numerō Miltiadēs cui illa cūstōdia crēderētur. Hīc cum crēbrī adferrent nūntiī male rem gerere Dārīum premīque ā Scythīs, Miltiadēs hortātus est pōntis cūstōdēs nē ā fōrtūnā datam occāsiōnem līberandae Graeciae dīmitterent. Nam sī cum iīs cōpiīs quās sēcum trānsportārat interiisset Dārīus, nōn sōlum Eurōpam fore tūtam, sed etiam eōs quī Asiam incolerent Graecī genere līberōs ā Persārum futūrōs dominātiōne et perīculō; id facile efficī posse. Pōnte enim rescissō rēgem vel hostium ferrō vel inopiā paucīs diēbus interitūrum. Ad hōc cōnsilium cum plērīque accēderent, Histiaeus Mīlēsius, nē rēs cōnficerētur, obstitit, dīcēns nōn idem ipsīs, quī summās imperī tenērent, expedīre et multitūdinī, quod Dārī rēgnō ipsōrum nīterētur dominātiō: quō exstinctō ipsōs potestāte expulsōs cīvibus suīs poenās datūrōs. Itaque adeō sē abhorrēre ā cēterōrum cōnsiliō, ut nihil putet ipsīs ūtilius quam cōnfīrmārī rēgnum Persārum. Hūius cum sententiam plūrimī essent secūtī, Miltiadēs

Digitized by Google

nōn dubitāns tam multīs cōnsciīs ad rēgis aurēs cōnsilia sua perventūra, Chersonēsum relīquit āc rūrsus Athēnās dēmigrāvit. Cūius ratiō etsī nōn valuit, tamen magnō opere est laudanda cum amīcior omnium lībertātī quam suae fuerit dominātiōnī.

IV. Dārīus autem, cum ex Eurōpā in Asiam redīsset, hortantibus amīcīs ut Graeciam redigeret in suam potestātem, classem quīngentārum nāvium comparāvit eīque Datim praefēcit et Artaphernem, hīsque ducenta peditum, decem equitum mīlia dedit, causam interserēns sē hostem esse Athēniēnsibus, quod eōrum auxiliō Iōnes Sardīs expūgnāssent suaque praesidia interfēcissent. Illī praefectī rēgiī classe ad Euboeam appulsā celeriter Eretriam cēpērunt omnēsque ēius gentis cīvēs abreptōs in Asiam ad rēgem mīsērunt. Inde ad Atticam accessērunt āc suās cōpiās in campum Marathōna dēdūxērunt. Is est ab oppidō circiter mīlia passuum decem. Hōc tumultū Athēniēnsēs tam propīnquō tamque māgnō permōtī auxilium nusquam nisi ā Lacedaemoniīs petīvērunt Phīdippumque cursōrem ēius generis quī hēmerodromoe vocantur, Lacedaemonem mīsērunt, ut nūntiāret quam celerī opus esset auxiliō. Domī autem creant decem praetōrēs, quī exercituī praeessent, in iīs Miltiadem. Inter quōs māgna fuit contentiō utrum moenibus sē dēfenderent an obviam īrent hostibus aciēque dēcernerent. Ūnus Miltiadēs māximē nītēbātur ut prīmō quōque tempore castra fierent: id sī factum esset, et cīvibus animum acces-

Digitized by Google

sūrum, cum vidērent dē eōrum virtūte nōn dēspērārī, et hostēs eādem rē fore tardiōrēs, sī animadverterent audērī adversus sē tam exiguīs cōpiīs dīmicārī.

V. Hōc in tempore nūlla cīvitās Athēniēnsibus auxiliō fuit praeter Plataeēnsēs. Ea mīlle mīsit mīlitum. Itaque hōrum adventū decem mīlia armātōrum complēta sunt, quae manus mīrābilī flagrābat pūgnandī cupiditāte. Quō factum est ut plūs quam conlēgae Miltiadēs valēret. Ēius ergō auctōritāte impulsī Athēniēnsēs cōpiās ex urbe ēdūxērunt locōque idōneō castra fēcērunt. Dein posterō diē sub mōntis rādīcibus aciē regiōne īnstrūctā nōn apertissimā proelium commīsērunt (namque arborēs multīs locīs erant rārae) hōc cōnsiliō, ut et mōntium altitūdine tegerentur et arborum trāctū equitātus hostium impedīrētur, nē multitūdine clauderentur. Datis, etsī nōn aequum locum vidēbat suīs, tamen frētus numerō cōpiārum suārum cōnflīgere cupiēbat, eōque magis, quod, priusquam Lacedaemoniī subsidiō venīrent, dīmicāre ūtile arbitrābātur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem mīlia prōdūxit proeliumque commīsit. In quō tantō plūs virtūte valuērunt Athēniēnsēs ut decemplicem numerum hostium prōflīgārint, adeōque eōs perterruērunt ut Persae nōn castra, sed nāvēs petierint. Quā pūgnā nihil adhūc exstitit nōbilius: nūlla enim umquam tam exigua manus tantās opēs prōstrāvit.

VI. Cūius vīctōriae nōn aliēnum vidētur quāle prae-

Digitized by Google

mium Miltiadī sit tribūtum docēre, quō facilius intellegī possit eandem omnium cīvitātum esse nātūram. Ut enim populī Rōmānī honōrēs quondam fuērunt rārī et tenuēs ob eamque causam glōriōsī, nunc autem effūsī atque obsolētī, sīc ōlim apud Athēniēnsēs fuisse reperīmus. Namque huic Miltiadī, quī Athēnās tōtamque Graeciam · līberārat, tālis honōs tribūtus est, in porticū, quae Poecilē vocātur, cum pūgna dēpingerētur Marathōnia, ut in decem praetōrum numerō prīma ēius imāgō pōnerētur isque hortārētur mīlitēs proeliumque committeret. Īdem ille populus, posteāquam māius imperium est nactus et largītiōne magistrātuum corruptus est, trecentās statuās Dēmētriō Phalēreō dēcrēvit.

VII. Post hōc proelium classem septuāgintā nāvium Athēniēnsēs eīdem Miltiadī dedērunt, ut īnsulās quae barbarōs adiūverant, bellō persequerētur. Quō in imperiō plērāsque ad officium redīre coēgit, nōnnūllās vī expūgnāvit. Ex hīs Parum īnsulam opibus ēlātam cum ōrātiōne reconciliāre nōn posset, cōpiās ē nāvibus ēdūxit, urbem operibus clausit omnīque commeātū prīvāvit, dein vīneīs āc testūdinibus cōnstitūtīs propius mūrōs accessit. Cum iam in eō esset, ut oppidō potīrētur, procul in continentī lūcus, quī ex īnsulā cōnspiciēbātur, nēsciō quō cāsū nocturnō tempore incēnsus est. Cūius flamma ut ab oppidānīs et oppūgnātōribus est vīsa, utrīsque vēnit in opīniōnem sīgnum ā classiāriīs rēgiīs datum. Quō factum est ut et Pariī ā dēditiōne dēterrērentur et Mil-

Digitized by Google

tiadēs, timēns nē classis rēgia adventāret, incēnsīs operibus quae statuerat, cum totidem nāvibus atque erat profectus, Athēnās māgnā cum offēnsiōne cīvium suōrum redīret. Accūsātus ergō est prōditiōnis, quod, cum Parum expūgnāre posset, ā rēge corruptus īnfectīs rēbus discessisset. Eō tempore aeger erat volneribus quae in oppūgnandō oppidō accēperat. Itaque cum ipse prō sē dīcere nōn posset, verba fēcit frāter ēius Stēsagorās. Causā cōgnitā capitis absolūtus pecūniā multātus est, eaque līs quīnquāgintā talentīs aestimāta est, quantus in classem sūmptus factus erat. Hanc pecūniam quod solvere in praesentiā nōn poterat, in vincula pūblica coniectus est ibique diem obiit suprēmum.

VIII. Hīc etsī crīmine Pariō est accūsātus, tamen alia causa fuit damnātiōnis. Namque Athēniēnsēs propter Pīsistratī tyrannidem, quae paucīs annīs ante fuerat, omnium cīvium suōrum potentiam extimēscēbant. Miltiadēs, multum in imperiīs magistrātibusque versātus, nōn vidēbātur posse esse prīvātus, praesertim cum cōnsuētūdine ad imperī cupiditātem trahī vidērētur. Nam Chersonēsī omnēs illōs quōs habitārat annōs perpetuam obtinuerat dominātiōnem tyrannusque fuerat appellātus, sed iūstus. Nōn erat enim vī cōnsecūtus, sed suōrum voluntāte, eamque potestātem bonitāte retinēbat. Omnēs autem et dīcuntur et habentur tyrannī quī potestāte sunt perpetuā in eā cīvitāte quae lībertāte ūsa est. Sed in Miltiade erat cum summa hūmānitās,

Digitized by Google

tum mīra commūnitās, ut nēmō tam humilis esset cui nōn ad eum aditus patēret; māgna auctōritās apud omnēs cīvitātēs, nōbile nōmen, laus reī mīlitāris māxima. Haec populus respiciēns māluit illum innoxium plectī quam sē diūtius esse in timōre.

2. THEMISTOCLES

(514—449 a. Chr. n.)

I. Themistoclēs, Neoclī fīlius, Athēniēnsis. Hūius vitia ineuntis adulēscentiae māgnīs sunt ēmendāta virtūtibus, adeō ut anteferātur huic nēmō, paucī parēs putentur. Sed ab initiō est ōrdiendus. Pater ēius Neoclēs generōsus fuit. Is uxōrem Acarnānam cīvem dūxit, ex quā nātus est Themistoclēs. Quī cum minus esset probātus parentibus, quod et līberius vīvēbat et rem familiārem neglegēbat, ā patre exhērēdātus est. Quae contumēlia nōn frēgit eum, sed ērēxit. Nam cum iūdicāsset sine summā industriā nōn posse eam exstinguī, tōtum sē dēdidit reī pūblicae. Dīligentius amīcīs fāmaeque serviēns multum in iūdiciīs prīvātīs versābātur, saepe in cōntiōnem populī prōdībat; nūlla rēs māior sine eō gerēbātur; celeriter quae opus erant reperiēbat, facile eadem ōrātiōne explicābat. Neque minus in rēbus gerendīs prōmptus quam excōgitandīs erat, quod et dē īnstantibus, ut ait Thucydidēs, vērissimē iūdicābat et dē futūrīs callidissimē coniciēbat. Quō factum est ut brevī tempore inlūstrārētur.

Digitized by Google

II. Prīmus autem gradus fuit capessendae reī pūblicae bellō Corcȳraeō: ad quod gerendum praetor ā populō factus nōn sōlum praesentī bellō, sed etiam reliquō tempore ferōciōrem reddidit cīvitātem. Nam cum pecūnia pūblica, quae ex metallīs redībat, largītiōne magistrātuum quotannīs interīret, ille persuāsit populō ut eā pecūniā classis centum nāvium aedificārētur. Quā celeriter effectā prīmum Corcȳraeōs frēgit, deinde maritimōs praedōnēs cōnsectandō mare tūtum reddidit. In quō cum dīvitiīs ōrnāvit, tum etiam perītissimōs bellī nāvālis fēcit Athēniēnsēs. Id quantae salūtī fuerit ūniversae Graeciae, bellō cōgnitum est Persicō. Nam cum Xerxēs et marī et terrā bellum ūniversae īnferret Eurōpae cum tantīs cōpiīs quantās neque ante nec posteā habuit quisquam: hūius enim classis mīlle et ducentārum nāvium longārum fuit, quam duo mīlia onerāriārum sequēbantur, terrestrēs autem exercitūs septingenta peditum, equitum quadringenta mīlia fuērunt:—cūius dē adventū cum fāma in Graeciam esset perlāta et māximē Athēniēnsēs petī dīcerentur propter pūgnam Marathōniam, mīsērunt Delphōs cōnsultum quidnam facerent dē rēbus suīs. Dēlīberantibus Pȳthia respondit ut moenibus līgneīs sē mūnīrent. Id respōnsum quō valēret cum intellegeret nēmō, Themistoclēs persuāsit cōnsilium esse Apollinis ut in nāvēs sē suaque cōnferrent: eum enim ā deō sīgnificārī mūrum līgneum. Tālī cōnsiliō probātō addunt ad superiōrēs totidem

Digitized by Google

nāvēs trirēmēs, suaque omnia quae movērī poterant, partim Salamīna, partim Troezēna dēportant: arcem sacerdōtibus paucīsque māiōribus nātū ad sacra prōcūranda trādunt, reliquum oppidum relinquunt.

III. Hūius cōnsilium plērīsque cīvitātibus displicēbat et in terrā dīmicārī magis placēbat. Itaque missī sunt dēlēctī cum Leōnidā, Lacedaemoniōrum rēge, quī Thermopylās occupārent longiusque barbarōs prōgredī nōn paterentur. Hī vim hostium nōn sustinuērunt eōque locō omnēs interiērunt. At classis commūnis Graeciae trecentārum nāvium, in quā ducentae erant Athēniēnsium, prīmum apud Artemisium inter Euboeam continentemque terram cum classiāriīs rēgiīs cōnflīxit. Angustiās enim Themistoclēs quaerēbat, nē multitūdine circumīrētur. Hīc etsī parī proeliō discesserant, tamen eōdem locō nōn sunt ausī manēre, quod erat perīculum nē, sī pars nāvium adversāriōrum Euboeam superāsset, ancipitī premerentur perīculō. Quō factum est ut ab Artemisiō discēderent et exadversum Athēnās apud Salamīna classem suam cōnstituerent.

IV. At Xerxēs Thermopylīs expūgnātīs prōtinus accessit astū idque, nūllīs dēfendentibus, interfectīs sacerdōtibus quōs in arce invēnerat, incendiō dēlēvit. Cūius flammā perterritī classiāriī cum manēre nōn audērent et plūrimī hortārentur ut domōs suās discēderent moenibusque sē dēfenderent, Themistoclēs ūnus restitit et ūniversōs parēs esse posse āiēbat, dispersōs testābātur

Digitized by Google

peritūrōs, idque Eurybiadī, rēgi Lacedaemoniōrum, quī tum summae imperī praeerat, fore adfīrmābat. Quem cum minus quam vellet movēret, noctū dē servīs suīs quem habuit fidēlissimum ad rēgem mīsit, ut eī nūntiāret suīs verbīs adversāriōs ēius in fugā esse: quī sī discessissent, māiōre cum labōre et longīnquiōre tempore bellum cōnfectūrum, cum singulōs cōnsectārī cōgerētur: quōs sī statim aggrederētur, brevī ūniversōs oppressūrum. Hōc eō valēbat, ut ingrātiīs ad dēpūgnandum omnēs cōgerentur. Hāc rē audītā barbarus, nihil dolī subesse crēdēns, postrīdiē aliēnissimō sibi locō, contrā opportūnissimō hostibus, adeō angustō marī cōnflīxit ut ēius multitūdō nāvium explicārī nōn potuerit. Vīctus ergō est magis etiam cōnsiliō Themistoclī quam armīs Graeciae.

V. Hīc etsī male rem gesserat, tamen tantās habēbat reliquiās cōpiārum ut etiam tum iīs opprimere posset hostēs. Iterum ab eōdem gradū dēpulsus est. Nam Themistoclēs verēns nē bellāre persevērāret, certiōrem eum fēcit id agī, ut pōns quem ille in Hellēspontō fēcerat, dissolverētur āc reditū in Asiam exclūderētur, idque eī persuāsit. Itaque quā sex mēnsibus iter fēcerat, eādem minus diēbus trīgintā in Asiam reversus est sēque ā Themistocle nōn superātum, sed cōnservātum, iūdicāvit. Sīc ūnīus virī prūdentiā Graecia līberāta est Eurōpaeque succubuit Asia. Haec altera vīctōria quae cum Marathōniō possit comparārī tropaeō. Nam parī modō apud

Digitized by Google

Salamīna parvō numerō nāvium māxima post hominum memoriam classis est dēvīcta.

VI. Māgnus hōc bellō Themistoclēs fuit neque minor in pāce. Cum enim Phalēricō portū neque māgnō neque bonō Athēniēnsēs ūterentur, hūius cōnsiliō triplex Pīraeī portus cōnstitūtus est isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dīgnitāte aequiperāret, ūtilitāte superāret. Īdem mūrōs Athēniēnsium restituit praecipuō suō perīculō. Namque Lacedaemoniī causam idōneam nactī propter barbarōrum excursiōnēs, quā negārent oportēre extrā Peloponnēsum ūllam urbem mūrōs habēre, nē essent loca mūnīta quae hostēs possīderent, Athēniēnsēs aedificantēs prohibēre sunt cōnātī. Hōc longē aliō spectābat atque vidērī volēbant. Athēniēnsēs enim duābus vīctōriīs, Marathōniā et Salamīniā, tantam glōriam apud omnēs gentēs erant cōnsecūtī ut intellegerent Lacedaemoniī dē prīncipātū sibi cum hīs certāmen fore. Quārē eōs quam īnfīrmissimōs esse volēbant. Postquam autem audiērunt mūrōs instruī, lēgātōs Athēnās mīsērunt, quī id fierī vetārent. Hīs praesentibus dēsiērunt āc sē dē eā rē lēgātōs ad eōs missūrōs dīxērunt. Hanc lēgātiōnem suscēpit Themistoclēs et sōlus prīmō profectus est: reliquī lēgātī ut tum exīrent cum satis altī tuendō mūrī exstrūctī vidērentur, praecēpit: interim omnēs, servī atque līberī, opus facerent neque ūllī locō parcerent, sīve sacer, sīve prīvātus esset sīve pūblicus, et undique, quod idōneum ad mūniendum putārent, congererent.

Digitized by Google

Quō factum est ut Athēniēnsium mūrī ex sacellīs sepulcrīsque cōnstārent.

VII. Themistoclēs autem, ut Lacedaemonem vēnit, adīre ad magistrātūs nōluit et dedit operam ut quam longissimē tempus dūceret, causam interpōnēns sē conlēgās exspectāre. Cum Lacedaemoniī quererentur opus nihilō minus fierī eumque in eā rē cōnārī fallere, interim reliquī lēgātī sunt cōnsecūtī. Ā quibus cum audīsset nōn multum superesse mūnītiōnis, ad ephorōs Lacedaemoniōrum accessit, penes quōs summum erat imperium, atque apud eōs contendit falsa iīs esse dēlāta : quārē aequum esse illōs virōs bonōs nōbilēsque mittere quibus fidēs habērētur, quī rem explōrārent : intereā sē obsidem retinērent. Gestus est eī mōs, trēsque lēgātī fūnctī summīs honōribus Athēnās mīssī sunt. Cum hīs conlēgās suōs Themistoclēs iūssit proficīscī hīsque praedīxit ut nē prius Lacedaemoniōrum lēgātōs dīmitterent quam ipse esset remīssus. Hōs postquam Athēnās pervēnisse ratus est, ad magistrātūm senātumque Lacedaemoniōrum adiit et apud eōs līberrimē professus est : Athēniēnsēs suō cōnsiliō, quod commūnī iūre gentium facere possent, deōs pūblicōs suōsque patriōs āc penātēs, quō facilius ab hoste possent dēfendere, mūrīs saepsisse, neque in eō quod inūtile esset Graeciae fēcisse. Nam illōrum urbem ut prōpūgnāculum oppositum esse barbarīs, apud quam iam bis classēs rēgiās fēcisse naufragium. Lacedaemoniōs autem male et iniūstē facere, quī id potius intuē-

Digitized by Google

rentur, quod ipsōrum dominātiōnī quam quod ūniversae Graeciae ūtile esset. Quārē, sī suōs lēgātōs recipere vellent, quōs Athēnās mīserant, sē remitterent, cum aliter illōs numquam in patriam essent receptūrī.

VIII. Tamen nōn effūgit cīvium suōrum invidiam. Namque ob eundem timōrem quō damnātus erat Miltiadēs, testulārum suffrāgiīs ē cīvitāte ēiectus Argos habitātum concessit. Hīc cum propter multās ēius virtūtēs māgnā cum dīgnitāte vīveret, Lacedaemoniī lēgātōs Athēnās mīsērunt, quī eum absentem accūsārent, quod societātem cum rēge Persē ad Graeciam opprimendam fēcisset. Hōc crīmine absēns prōditiōnis damnātus est. Id ut audīvit, quod nōn satis tūtum sē Argīs vidēbat, Corcȳram dēmigrāvit. Ibi cum cīvēs prīncipēs animadvertisset timēre nē propter sē bellum iīs Lacedaemoniī et Athēniēnsēs indīcerent, ad Admētum, Molossūm rēgem, cum quō eī hospitium erat, cōnfūgit. Hūc cum vēnisset et in praesentiā rēx abesset, quō māiorē religiōne sē receptum tuērētur fīlium ēius parvulum adripuit et cum eō sē īn sacrārium, quod summā colēbātur caerimōniā, coniēcit. Inde nōn prius ēgressus est quam rēx eum datā dextrā in fidem reciperet, quam praestitit. Nam cum ab Athēniēnsibus et Lacedaemoniīs exposcerētur pūblicē, supplicem nōn prōdidit monuitque ut cōnsuleret sibi: difficile enim esse in tam propīnquō locō tūtō eum versārī. Itaque Pydnam eum dēdūcī iussit et quod satis esset praesidī dedit. Hīc in nāvem omnibus īgnōtus nautīs

Digitized by Google

ēscendit. Quae cum tempestāte māximā Naxum ferrētur, ubi tum Athēniēnsium erat exercitus, sēnsit Themistoclēs, sī eō pervēnisset, sibi esse pereundum. Hāc necessitāte coāctus dominō nāvis, qui sit, aperit, multa pollicēns sī sē cōnservāsset. At ille clārissimī virī captus misericordiā diem noctemque procul ab īnsulā in salō nāvem tenuit in ancorīs neque quemquam ex eā exīre passus est. Inde Ephesum pervēnit ibique Themistoclem expōnit: cui ille prō meritīs posteā grātiam rettulit.

IX. Sciō plērōsque ita scrīpsisse Themistoclem Xerxe rēgnante in Asiam trānsīsse. Sed ego potissimum Thucydidī crēdō, quod aetāte proximus dē iīs quī illōrum temporum historiam relīquērunt, et ēiusdem cīvitātis fuit. Is autem ait ad Artaxerxēn eum vēnisse atque hīs verbīs epistulam mīsisse: "Themistoclēs vēnī ad te, quī plūrima mala omnium Grāiōrum in domum tuam intulī, quamdiū mihi necesse fuit adversum patrem tuum bellāre patriamque meam dēfendere. Īdem multō plūra bona fēcī, postquam in tūtō ipse et ille in perīculō esse coepit. Nam cum in Asiam revertī vellet, proeliō apud Salamīna factō litterīs eum certiōrem fēcī id agī, ut pōns quem in Hellēspontō fēcerat, dissolverētur atque ab hostibus circumīrētur: quō nuntiō ille perīculō est līberātus. Nunc autem cōnfūgī ad tē exagitātus ā cūnctā Graeciā, tuam petēns amīcitiam: quam sī erō adeptus, nōn minus mē bonum amīcum habēbis quam fortem inimīcum ille expertus est. Tē autem rogō, ut dē iīs rēbus quās

Digitized by Google

tēcum conloquī volō, annuum mihi tempus dēs eōque trānsāctō ad tē venīre patiāris."

X. Hūius rēx animī māgnitūdinem admīrāns cupiēnsque tālem virum sibi conciliārī veniam dedit. Ille omne illud tempus litterīs sermōnīque Persārum sē dēdidit: quibus adeō ērudītus est, ut multō commodius dīcātur apud rēgem verba fēcisse quam iī poterant, quī in Perside erant nātī. Hīc cum multa rēgī esset pollicitus grātissimumque illud, sī suīs ūtī cōnsiliīs vellet, illum Graeciam bellō oppressūrum, māgnīs mūneribus ab Artaxerxe dōnātus in Asiam rediit domiciliumque Māgnēsiae sibi cōnstituit. Namque hanc urbem eī rēx dōnārat hīs quidem verbīs, quae eī pānem praebēret (ex quā regiōne quīnquāgintā talenta quotannīs redībant), Lampsacum autem, unde vīnum sūmeret, Myunta, ex quā obsōnium habēret.

Hūius ad nostram memoriam monumenta mānsērunt duo: sepulcrum prope oppidum in quō est sepultus, statua in forō Māgnēsiae. Dē cūius morte multīs modīs apud plērōsque scrīptum est, sed nōs eundem potissimum Thucydidem auctōrem probāmus, quī illum ait Māgnēsiae morbō mortuum neque negat fuisse fāmam venēnum suā sponte sūmpsisse, cum sē, quae rēgī dē Graeciā opprimendā pollicitus esset, praestāre posse dēspērāret. Īdem ossa ēius clam in Atticā ab amīcīs sepulta, quoniam lēgibus nōn concēderētur, quod prōditiōnis esset damnātus, memoriae prōdidit.

3. ARISTIDES

I. Aristīdēs, Lȳsimachī fīlius, Athēniēnsis, aequālis ferē fuit Themistoclī. Itaque cum eō dē prīncipātū contendit; namque obtrēctārunt inter sē. In hīs autem cōgnitum est quantō ante-stāret ēloquentia innocentiae. Quamquam enim adeō excellēbat Aristīdēs abstinentiā, ut ūnus post hominum memoriam, quem quidem nōs audierimus, cōgnōmine Iūstus sit appellātus, tamen, ā Themistocle conlabefactus, tēstulā illā exsiliō decem annōrum multātus est. Quī quidem cum intellegeret reprimī concitātam multitūdinem nōn posse, cēdēnsque animadvertisset quendam scrībentem ut patriā pellerētur, quaesīsse, ad eō dīcitur quārē id faceret aut quid Aristīdēs commīsisset, cūr tantā poenā dīgnus dūcerētur. Cui ille respondit, sē īgnōrāre Aristīdēn; sed sibi nōn placēre, quod tam cupidē elabōrāsset ut praeter cēterōs Iūstus appellārētur.

Hīc decem annōrum lēgitimam poenam nōn pertulit. Nam postquam Xerxēs in Graeciam dēscendit, sextō ferē annō quam erat expulsus, populī scītō in patriam restitūtus est.

II. Interfuit autem pūgnae nāvālī apud Salamīna, quae facta est priusquam poenā līberārētur. Īdem praetor fuit Athēniēnsium apud Plataeās, in proeliō quō fūsus barbarōrum exercitus Mardoniusque interfectus est.

Digitized by Google

Neque aliud est ūllum hūius in rē mīlitārī inlūstre factum quam ēius imperiī memoria, iūstitiae vērō et aequitātis et innocentiae multa; in prīmīs, quod hūius aequitāte factum est, cum in commūnī clāsse esset Graeciae simul cum Pausaniā, quō duce Mardonius erat fugātus, ut summa imperiī maritimī ab Lacedaemoniīs trānsferrētur ad Athēniēnsēs. Namque ante id tempus et marī et terrā ducēs errant Lacedaemoniī. Tum autem et intemperantiā Pausaniae et iūstitiā factum est Aristīdis, ut omnēs ferē cīvitātēs Graeciae ad Athēniēnsium societātem sē applicārent et adversus barbarōs hōs ducēs dēligerent sibi.

III. Quōs quō facilius repellerent, sī forte bellum renovāre cōnārentur, ad clāssēs aedificandās exercitūsque comparandōs quantum pecūniae quaeque cīvitās daret, Aristīdēs dēlēctus est quī cōnstitueret, ēiusque arbitriō quadringēna et sexāgēna talenta quotannīs Dēlum sunt conlāta. Id enim commūne aerārium esse voluērunt. Quae omnis pecūnia posterō tempore Athēnās trānslāta est.

Hīc quā fuerit abstinentiā, nūllum est certius indicium, quam quod, cum tantīs rēbus praefuisset, in tantā paupertāte dēcēssit, ut quī efferrētur vix relīquerit. Quō factum est ut fīliae ēius pūblicē alerentur et dē commūnī aerāriō dōtibus datīs conlocārentur. Dēcēssit autem ferē post annum quārtum quam Themistoclēs Athēnīs erat expulsus.

Digitized by Google

4. EPAMINONDAS

I. Epamīnōndās, Polymnidis fīlius, Thēbānus. Dē hōc priusquam scrībimus, haec praecipienda videntur lēctōribus, nē aliēnōs mōrēs ad suōs referant, nēve ea quae ipsīs leviōra sunt, pari modō apud cēterōs fuisse arbitrentur. Scīmus enim mūsicēn nostrīs mōribus abesse ā prīncipis persōnā, saltāre vērō etiam in vitiīs pōnī: quae omnia apud Graecōs et grāta et laude digna dūcuntur. Cum autem exprimere imāginem cōnsuētūdinis atque vītae velīmus Epamīnōndae, nihil vidēmur dēbēre praetermittere quod pertineat ad eam dēclārandam. Quārē dīcēmus prīmum dē genere ēius, deinde quibus disciplīnīs et ā quibus sit ērudītus, tum dē mōribus ingenīque facultātibus et sī qua alia memoriā dīgna erunt, postrēmō dē rēbus gestīs, quae ā plūrimīs animī antepōnuntur virtūtibus.

II. Nātus est igitur patre quō dīximus, genere honestō, pauper iam ā māiōribus relīctus, ērudītus autem sīc ut nēmō Thēbānus magis. Nam et citharizāre et cantāre ad chordārum sonum doctus est ā Dionȳsiō, quī nōn minōre fuit in mūsicīs glōriā quam Dāmōn aut Lamprus, quōrum pervulgāta sunt nōmina, cantāre tībiīs ab Olympiodōrō, saltāre ā Calliphrone. At philosophiae praeceptōrem habuit Lȳsim Tarentīnum, Pȳthagorēum: cui quidem sīc fuit dēditus ut adulēscēns trīstem āc sevērum senem omnibus aequālibus suīs in familiāri-

Digitized by Google

tāte anteposuerit; neque prius eum ā sē dīmīsit quam in doctrīnīs tantō antecessit condiscipulōs ut facile intellegī posset parī modō superātūrum omnēs in cēterīs artibus. Atque haec ad nostram cōnsuētūdinem sunt levia et potius contemnenda; at in Graeciā, utique ōlim, māgnae laudī erant. Postquam ephēbus est factus et palaestrae dare operam coepit, nōn tam māgnitūdinī vīrium servīvit quam velōcitātī. Illam enim ad āthlētārum ūsum, hanc ad bellī exīstimābat ūtilitātem pertinēre. Itaque exercēbātur plūrimum currendō et lūctandō ad eum fīnem, quoad stāns complectī posset atque contendere. In armīs vērō plūrimum studī cōnsūmēbat.

III. Ad hanc corporis fīrmitātem plūra etiam animī bona accesserant. Erat enim modestus, prūdēns, gravis, temporibus sapienter ūtēns, perītus bellī, fortis manū, animō māximō, adeō vēritātis dīligēns ut nē iocō quidem mentīrētur. Īdem continēns, clēmēns patiēnsque admīrandum in modum, nōn sōlum populī, sed etiam amīcōrum ferēns iniūriās, in prīmīs commīssa cēlāns, quod interdum nōn minus prōdest quam disertē dīcere, studiōsus audiendī: ex hōc enim facillimē discī arbitrābātur. Itaque cum in circulum vēnisset in quō aut dē rē pūblicā disputārētur aut dē philosophiā sermō habērētur, numquam inde prius discessit quam ad fīnem sermō esset adductus. Paupertātem adeō facile perpessus est ut dē rē pūblicā nihil praeter glōriam cēperit, amīcōrum in sē tuendō caruerit facultātibus, fidē ad aliōs sublevandōs saepe

Digitized by Google

sīc ūsus est ut iūdicārī possit omnia eī cum amīcīs fuisse commūnia. Nam cum aut cīvium suōrum aliquis ab hostibus esset captus, aut virgō nūbilis, quae propter paupertātem conlocārī nōn posset, amīcōrum cōnsilium habēbat et, quantum quisque daret, prō facultātibus imperābat. Eamque summam cum fēcerat, priusquam acciperet pecūniam, addūcēbat eum quī quaerēbat ad eōs quī cōnferēbant, eīque ut ipsī numerārent, faciēbat, ut ille, ad quem ea rēs perveniēbat, scīret quantum cuique dēbēret.

IV. Tentāta autem ēius est abstinentia ā Diomedonte Cyzicēnō. Namque is rogātū Artaxerxis rēgis Epamīnōndam pecūniā corrumpendum suscēperat. Hīc māgnō cum pondere aurī Thēbās vēnit et Micythum adulēscentulum quīnque talentīs ad suam perdūxit voluntātem, quem tum Epamīnōndās plūrimum dīligēbat. Micythus Epamīnōndam convēnit et causam adventūs Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte cōram “ Nihil,” inquit, “ opus pecūniā est : nam sī rēx ea volt quae Thēbānīs sunt ūtilia, grātiīs facere sum parātus ; sīn autem contrāria, nōn habet aurī atque argentī satis. Namque orbis terrārum dīvitiās accipere nōlō prō patriae cāritāte. Tū quod mē incōgnitum tentāstī tuīque similem existimāstī, nōn mīror tībique īgnōscō ; sed ēgredere properē, nē aliōs corrumpās, cum mē nōn potueris. Et tū, Micythe, argentum huic redde, aut, nisi id cōnfestim facis, ego tē trādam magistrātuī.” Hunc Diomedōn cum

rogāret ut tūtō exīret suaque quae atulerat, licēret efferre, "Istud quidem," inquit, "faciam, neque tuā causā, sed meā, nē, sī tibi sit pecūnia adēmpta, aliquis dīcat id ad mē ēreptum pervēnisse quod dēlātum accipere nōluissem." Ā quō cum quaesīsset, quō sē dēdūcī vellet, et ille Athēnās dīxisset, praesidium dedit, ut tūtō pervenīret. Neque vērō id satis habuit, sed etiam, ut inviolātus in nāvem ēscenderet, per Chabriam Athēniēnsem, dē quō suprā mentiōnem fēcimus, effēcit. Abstinentiae erit hōc satis testimōnium. Plūrima quidem prōferre possumus, sed modus adhibendus est, quoniam ūnō hōc volūmine vītam excellentium virōrum complūrium conclūdere cōnstituimus, quōrum sēparātim multīs mīlibus versuum complūrēs scrīptōrēs ante nōs explicārunt.

V. Fuit etiam disertus, ut nēmō eī Thēbānus pār esset ēloquentiā, neque minus concinnus in brevitāte respondendī quam in perpetuā ōrātiōne ōrnātus. Habuit obtrēctātōrem Meneclīdēn quendam, indidem Thēbīs, et adversārium in administrandā rē pūblicā, satis exercitātum in dīcendō, ut Thēbānum scīlicet: namque illī gentī plūs inest vīrium quam ingenī. Is, quod in rē mīlitārī flōrēre Epamīnōndam vidēbat, hortārī solēbat Thēbānōs ut pācem bellō anteferrent, nē illīus imperātōris opera dēsīderārētur. Huic ille "Fallis," inquit, "verbō cīvēs tuōs, quod hōs ā bellō revocās: ōtī enim nōmine servitūtem conciliās. Nam paritur pāx bellō. Itaque quī eā diūtinā volunt fruī, bellō exercitātī esse dēbent. Quārē

Digitized by Google

sī prīncipēs Graeciae voltis esse, castrīs est vōbīs ūtendum, nōn palaestrā." Īdem ille Meneclīdēs cum huic obiceret, quod līberōs nōn habēret neque uxōrem dūxisset, māximēque īnsolentiam, quod sibi Agamemnonis bellī glōriam vidērētur cōnsecūtus: at ille "Dēsine," inquit, "Meneclīda, dē uxōre mihi exprobrāre: nam nūllīus in istā rē minus ūtī cōnsiliō volō." (Habēbat enim Meneclīdēs suspīciōnem adulterī.) "Quod autem mē Agamemnonem aemulārī putās, falleris. Namque ille cum ūniversā Graecia vix decem annīs ūnam cēpit urbem, ego contrā eā ūnā urbe nostrā diēque ūnō tōtam Graeciam Lacedaemoniīs fugātīs līberāvī."

VI. Īdem cum in conventum vēnisset Arcadum, petēns ut societātem cum Thēbānīs et Argīvīs facerent, contrāque Callistratus, Athēniēnsium lēgātus, quī ēloquentiā omnēs eō praestābat tempore, postulāret ut potius amīcitiam sequerentur Atticōrum, et in ōrātiōne suā multa invectus esset in Thēbānōs et Argīvōs, in iīsque hōc posuisset, animum advertere dēbēre Arcades quālēs utraque cīvitās cīvēs prōcreāsset, ex quibus dē cēterīs possent iūdicāre: Argīvōs enim fuisse Orestem et Alcmaeonem mātricīdās, Thēbīs Oedipum nātum, quī cum patrem suum interfēcisset, ex mātre līberōs prōcreāsse: huic in respondendō Epamīnōndās, cum dē cēterīs perōrāsset, postquam ad illa duo opprobria pervēnit, admīrārī sē dīxit stultitiam rhētoris Atticī, quī nōn animadverterit innocentēs illōs nātōs domī, scelere ad-

Digitized by Google

mīssō cum patriā essent expulsī, receptōs esse ab Athēniēnsibus. Sed māximē ēius ēloquentia ēlūxit Spartae lēgātī ante pūgnam Leuctricam. Quō cum omnium sociōrum convēnissent lēgātī, cōram frequentissimō lēgātiōnum conventū sīc Lacedaemoniōrum tyrannidem coarguit ut nōn minus illā ōrātiōne opēs eōrum concusserit quam Leuctricā pūgnā. Tum enim perfēcit, quod post appāruit, ut auxiliō Lacedaemoniī sociōrum prīvārentur.

VII. Fuisse patientem suōrumque iniūriās ferentem cīvium, quod sē patriae īrāscī nefās esse dūceret, haec sunt testimōnia. Cum eum propter invidiam cīvēs suī praeficere exercituī nōluissent duxque esset dēlēctus bellī imperītus, cūius errōre rēs eō esset dēducta ut omnēs dē salūte pertimēscerent, quod locōrum angustiīs clausī ab hostibus obsidēbantur, dēsīderārī coepta est Epamīnōndae dīligentia : erat enim ibi prīvātus numerō mīlitis. Ā quō cum peterent opem, nūllam adhibuit memoriam contumēliae et exercitum obsidiōne līberātum domum redūxit incolumem. Nec vērō hōc semel fēcit, sed saepius. Māximē autem fuit inlūstre, cum in Peloponnēsum exercitum dūxisset adversus Lacedaemoniōs habēretque conlēgās duōs, quōrum alter erat Pelopidās, vir fortis āc strēnuus. Hī cum crīminibus adversāriōrum omnēs in invidiam vēnissent ob eamque rem imperium iīs esset abrogātum atque in eōrum locum aliī praetōrēs successissent, Epamīnōndās populī scītō

Digitized by Google

nōn pāruit idemque ut facerent persuāsit conlēgīs et bellum quod suscēperat, gessit. Namque animadvertēbat, nisi id fēcisset, tōtum exercitum propter praetōrum imprūdentiam īnscītiamque bellī peritūrum. Lēx erat Thēbīs quae morte multābat, sī quis imperium diūtius retinuisset quam lēge praefīnītum foret. Hanc Epamīnōndās cum reī pūblicae cōnservandae causā lātam vidēret, ad perniciem cīvitātis cōnferre nōluit et quattuor mēnsibus diūtius quam populus iūsserat, gessit imperium.

VIII. Postquam domum reditum est, conlēgae ēius hōc crīmine accūsābantur. Quibus ille permīsit ut omnem causam in sē trānsferrent suāque operā factum contenderent ut lēgī nōn oboedīrent. Quā dēfēnsiōne illīs perīculō līberātīs nēmō Epamīnōndam respōnsūrum putābat, quod, quid dīceret, nōn habēret. At ille in iūdicium vēnit, nihil eōrum negāvit quae adversāriī crīminī dabant, omniaque quae conlēgae dīxerant, cōnfessus est neque recūsāvit quō minus lēgis poenam subīret, sed ūnum ab iīs petīvit, ut in perīculo suō īnscrīberent: "Epamīnōndās ā Thēbānīs morte multātus est, quod eōs coēgit apud Leuctra superāre Lacedaemoniōs, quōs ante sē imperātōrem nēmō Boeōtiōrum ausus sit aspicere in aciē, quodque ūnō proeliō nōn sōlum Thēbās ab interitū retrāxit, sed etiam ūniversam Graeciam in lībertātem vindicāvit eōque rēs utrōrumque perdūxit ut Thēbānī Spartam oppūgnārent, Lacedaemoniī satis habērent sī salvī esse possent, neque prius bellāre dēstitit quam Messēnē

Digitized by Google

restitūtā urbem eōrum obsidiōne clausit." Haec cum dīxisset, rīsus omnium cum hilaritāte coortus est, neque quisquam iūdex ausus est dē eō ferre suffrāgium. Sīc ā iūdiciō capitis māximā discessit glōriā.

IX. Hīc extrēmō tempore imperātor apud Mantinēam cum aciē īnstrūctā audācius īnstāret hostibus, cōgnitus ā Lacedaemoniīs, quod in ūnīus perniciē ēius patriae sitam putābant salūtem, ūniversī in ūnum impetum fēcērunt neque prius abscessērunt quam māgnā caede multīsque occīsīs fortissimē ipsum Epamīnōndam pūgnantem, sparō ēminus percussum, concidere vīdērunt. Hūius cāsū aliquantum retardātī sunt Boeōtiī, neque tamen prius pūgnā excessērunt quam repūgnantēs prōflīgārunt. At Epamīnōndās, cum animadverteret mortiferum sē volnus accēpisse simulque, sī ferrum, quod ex hastīlī in corpore remānserat, extrāxisset, animam statim ēmīssūrum, usque eō retinuit quoad renūntiātum est vīcisse Boeōtiōs. Id postquam audīvit, "Satis," inquit, "vīxī: invīctus enim morior." Tum ferrō extrāctō cōnfestim exanimātus est.

X. Hīc uxōrem numquam dūxit. In quō cum reprehenderētur, quod līberōs nōn relinqueret, ā Pelopidā, quī fīlium habēbat īnfāmem, maleque eum in eō patriae cōnsulere dīceret, "Vidē," inquit, "nē tū pēius cōnsulās, quī tālem ex tē nātum relīctūrus sīs. Neque vērō stirps potest mih ideesse: namque ex mē nātam relinquō pūgnam Leuctricam, quae nōn modo mihi superstes, sed

Digitized by Google

etiam immortālis sit necesse est." Quō tempore duce Pelopidā exsulēs Thēbās occupārunt et praesidium Lacedaemoniōrum ex arce expulērunt, Epamīnōndās, quamdiū facta est caedēs cīvium, domō sē tenuit, quod neque malōs dēfendere volēbat neque impūgnāre, nē manūs suōrum sanguine cruentāret: namque omnem cīvīlem vīctōriam fūnestam putābat. Īdem, postquam apud Cadmēam cum Lacedaemoniīs pūgnārī coeptum est, in prīmīs stetit.

Hūius dē virtūtibus vītāque satis erit dictum, sī hōc ūnum adiūnxerō, quod nēmō ībit īnfitiās, Thēbās et ante Epamīnōndam nātum et post ēiusdem interitum perpetuō aliēnō pāruisse imperiō, contrā ea, quam diū ille praefuerit reī pūblicae, caput fuisse tōtīus Graeciae. Ex quō intellegī potest ūnum hominem plūris quam cīvitātem fuisse.

5. HAMILCAR

I. Hamilcar, Hannibalis fīlius, cōgnōmine Barca, Karthāginiēnsis, prīmō Poenicō bellō, sed temporibus extrēmīs, admodum adulēscentulus in Siciliā praeesse coepit exercituī. Cum autem ēius adventu et marī et terrā male rēs gererentur Karthāginiēnsium, ipse, ubī adfuit, numquam hostī cēssit neque locum nocendī dedit, saepeque ē contrāriō, occāsiōne datā, lacessīvit semperque superior discēssit. Quō factō, cum paene omnia in

Digitized by Google

Siciliā Poenī āmīsissent, ille Erycem sīc dēfendit ut bellum eō locō gestum nōn vidērētur.

Interim Karthāginiēnsēs, clāsse apud īnsulās Aegātēs ā C. Lutātiō, cōnsule Rōmānōrum, superātī, statuērunt bellī facere fīnem eamque rem arbitriō permīsērunt Hamilcaris. Ille, etsī flagrābat bellandī cupiditāte, tamen pācī serviundum putāvit, quod patriam exhaustam sūmptibus diūtius calamitātēs bellī ferre nōn posse intellegēbat, sed ita, ut statim mente agitāret, sī paulum modo rēs essent refectae, bellum renovāre Rōmānōsque armīs persequī, dōnicum aut virtūte vīcissent aut victī manūs dedissent. Hōc cōnsiliō pācem conciliāvit; in quō tantā fuit ferōciā, cum Catulus negāret bellum compositūrum, nisi ille cum suīs quī Erycem tenērent, armīs relictīs, Siciliā dēcēderent, ut succumbente patriā ipse peritūrum sē potius dīxerit quam cum tantō flāgitiō domum redīret. Nōn enim suae esse virtūtis arma ā patriā accepta adversus hostēs adversāriīs trādere. Hūius pertināciae cēssit Catulus.

II. At ille, ut Karthāginem vēnit, multō aliter āc spērārat rem pūblicam sē habentem cōgnōvit. Namque diuturnitāte externī malī tantum exārsit intestīnum bellum, ut numquam parī perīculō fuerit Karthāgō, nisi cum dēlēta est. Prīmō mercēnnāriī mīlitēs, quibus adversus Rōmānōs ūsī erant, dēscīvērunt; quōrum numerus erat vīgintī mīlium. Iī tōtam abaliēnārunt Āfricam, ipsam Karthāginem oppūgnārunt. Quibus malīs adeō sunt

Digitized by Google

Poenī perterritī, ut etiam auxilia ab Rōmānīs petierint; eaque impetrārunt. Sed extrēmō, cum prope iam ad dēspērātiōnem pervēnissent, Hamilcarem imperātōrem fēcērunt. Is nōn sōlum hostēs ā mūrīs Karthāginis remōvit, cum amplius centum mīlia facta essent armātōrum, sed etiam eō compulit ut locōrum angustiīs clausī plūrēs fame quam ferrō interīrent. Omnia oppida abaliēnāta, in iīs Uticam atque Hippōnem, valentissima tōtīus Āfricae, restituit patriae. Neque eō fuit contentus, sed etiam fīnēs imperī prōpāgāvit, tōtā Āfricā tantum ōtium reddidit, ut nūllum in eā bellum vidērētur multīs annīs fuisse.

III. Rēbus hīs ex sententiā perāctīs, fīdentī animō atque īnfēstō Rōmānīs, quō facilius causam bellandī reperīret, effēcit ut imperātor cum exercitū in Hispāniam mitterētur, eōque sēcum dūxit fīlium Hannibalem annōrum novem. Erat praetereā cum eō adulēscēns inlūstris, fōrmōsus, Hasdrubal; quem nōnnūlli dīligī turpius, quam pār erat, ab Hamilcare loquēbantur. Nōn enim maledicī tantō virō dēësse poterant. Quō factum est, ut ā praefectō mōrum Hasdrubal cum eō vetārētur esse. Huīc ille fīliam suam in mātrimōnium dedit, quod mōribus eōrum nōn poterat interdīcī socerō generō. Dē hōc ideō mentiōnem fēcimus, quod Hamilcare occīsō ille exercituī praefuit rēsque māgnās gessit, et prīnceps largītiōne vetustōs pervertit mōrēs Karthāginiēnsium, ēiusdemque post mortem Hannibal ab exercitū accēpit imperium.

Digitized by Google

IV. At Hamilcar, posteāquam mare trānsiīt in Hispāniamque vēnit, māgnās rēs secundā gessit fortūnā; māximās bellicōsissimāsque gentēs subēgit; equīs, armīs, virīs, pecūniā tōtam locuplētāvit Āfricam. Hīc cum in Italiam bellum īnferre meditārētur, nōnō annō postquam in Hispāniam vēnerat, in proeliō pūgnāns adversus Vettōnēs occīsus est.

Hūius perpetuum odium ergā Rōmānōs māximē concitāsse vidētur secundum bellum Poenicum. Namque Hannibal, fīlius ēius, adsiduīs patris obtēstātiōnibus eō est perductus ut interīre quam Rōmānōs nōn experīrī māllet.

6. HANNIBAL

(247 a. Chr. n. — 183)

I. Hannibal, Hamilcaris fīlius, Karthāginiēnsis. Sī vērum est, quod nēmō dubitat, ut populus Rōmānus omnēs gentēs virtūte superārit, nōn est īnfitiandum Hannibalem tantō praestitisse cēterōs imperātōrēs prūdentiā, quantō populus Rōmānus antecēdat fortitūdine cūnctās nātiōnēs. Nam quotiēnscumque cum eō congressus est in Ītaliā, semper discessit superior. Quod nisi domī cīvium suōrum invidiā dēbilitātus esset, Rōmānōs vidētur superāre potuisse. Sed multōrum obtrēctātiō dēvīcit ūnīus virtūtem.

II. Hīc autem velut hērēditāte relīctum odium pater-

Digitized by Google

num ergā Rōmānōs sīc cōnservāvit ut prius animam quam id dēposuerit, quī quidem, cum patriā pulsus esset et aliēnārum opum indigēret, numquam dēstiterit animō bellāre cum Rōmānīs. Nam ut omittam Philippum, quem absēns hostem reddidit Rōmānīs, omnium hīs temporibus potentissimus rēx Antiochus fuit. Hunc tantā cupiditāte incendit bellandī ut usque ā rubrō marī arma cōnātus sit īnferre Ītaliae. Ad quem cum lēgātī vēnissent Rōmānī, quī dē ēius voluntāte explōrārent darentque operam, cōnsiliīs clandestīnīs ut Hannibalem in suspīciōnem rēgī addūcerent, tamquam ab ipsīs corruptus alia atque anteā sentīret, neque id frūstrā fēcissent, idque Hannibal comperisset sēque ab interiōribus cōnsiliīs sēgregārī vīdisset, tempore datō adiit ad rēgem, eīque cum multa dē fidē suā et odiō in Rōmānōs commemorāsset, hōc adiūnxit: "Pater meus," inquit, "Hamilcar, puerulō mē, utpote nōn amplius novem annōs nātō, in Hispāniam imperātor proficīscēns Karthāgine, Iovī optimō māximō hostiās immolāvit. Quae dīvīna rēs dum cōnficiēbātur, quaesīvit ā mē vellemne sēcum in castra proficīscī. Id cum libenter accēpissem atque ab eō petere coepissem nē dubitāret dūcere, tum ille, 'Faciam,' inquit, 'sī mihi fidem, quam postulō, dederis.' Simul mē ad āram addūxit apud quam sacrificāre īnstituerat, eamque cēterīs remōtīs tenentem iūrāre iūssit numquam mē in amīcitiā cum Rōmānīs fore. Id ego iūsiūrandum patrī datum usque ad hanc aetātem ita cōnservāvī ut nēminī

Digitized by Google

dubium esse dēbeat quīn reliquō tempore eādem mente sim futūrus. Quārē, si quid amīcē dē Rōmānīs cōgitābis, nōn imprūdenter fēceris, sī mē cēlāris; cum quidem bellum parābis, tē ipsum frūstrāberis, sī nōn mē in eō prīncipem posueris."

III. Hāc igitur quā dīximus aetāte cum patre in Hispāniam profectus est. Cūius post obitum, Hasdrubale imperātōre suffectō, equitātuī omnī praefuit. Hōc quoque interfectō exercitus summam imperī ad eum dētulit. Id Karthāginem dēlātum pūblicē comprobātum est. Sīc Hannibal minor quīnque et vīgintī annīs nātus imperātor factus proximō trienniō omnēs gentēs Hispāniae bellō subēgit, Saguntum, foederātam cīvitātem, vī expūgnāvit, trēs exercitūs māximōs comparāvit. Ex hīs ūnum in Āfricam mīsit, alterum cum Hasdrubale frātre in Hispāniā relīquit, tertium in Ītaliam sēcum dūxit. Saltum Pȳrēnaeum trānsiit. Quācumque iter fēcit, cum omnibus incolīs cōnflīxit; nēminem nisi vīctum dīmīsit. Ad Alpēs posteāquam vēnit, quae Ītaliam ab Galliā sēiungunt, quās nēmō umquam cum exercitū ante eum praeter Herculem Grāium trānsierat, quō factō is hodiē saltus Grāius appellātur, Alpicōs cōnantēs prohibēre trānsitū concīdit, loca patefēcit, itinera mūniit, effēcit ut elephantus ōrnātus īre posset quā anteā ūnus homō inermis vix poterat rēpere. Hāc cōpiās trādūxit in Ītaliamque pervēnit.

IV. Cōnflīxerat apud Rhodanum cum P. Cornēliō

Digitized by Google

Scīpiōne cōnsule eumque pepulerat. Cum hōc eōdem Clastidī apud Padum dēcernit sauciumque inde āc fugātum dīmittit. Tertiō īdem Scīpiō cum conlēgā Tiberiō Longō apud Trebiam adversus eum vēnit. Cum hīs manum cōnseruit; utrōsque prōflīgāvit. Inde per Ligurēs Appennīnum trānsiit, petēns Etrūriam. Hōc itinere adeō gravī morbō adficitur oculōrum ut posteā numquam dextrō aequē bene ūsus sit. Quā valētūdine cum etiamtum premerētur lectīcāque ferrētur, C. Flāminium cōnsulem apud Trasumēnum cum exercitū īnsidiīs circumventum occīdit, neque multō post C. Centēnium praetōrem cum dēlēctā manū saltūs occupantum. Hinc in Āpūliam pervēnit. Ibi obviam eī vēnērunt duo cōnsulēs, C. Terentius et L. Aemilius. Utrīusque exercitūs ūnō proeliō fugāvit, Paulum cōnsulem occīdit et aliquot praetereā cōnsulārēs, in hīs Cn. Servīlium Geminum, quī superiōre annō fuerat cōnsul.

